H E. u. f. 81 b (5.2)

DE CASUUM SYNTAXI

Vergiliana

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT


FERD. ANTOINE

IN ALGERIENSI LITTERARUM SCHOLA SUPERIORI PROFESSOR



PARIS
LIBRAIRIE C. KLINCKSIECK
11, RUE DE LILLE

1882



ORNATISSIMO VIRO EUGENIO BENOIST,

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI

HANC DISPUTATIONEM, CUIUS INSTITUENDAE AUCTOR FUIT,

PIO ANIMO DEDICAT

EIUS OLIM AUDITOR ET DISCIPULUS

DE CASUUM SYNTAXI

VERGILIANA

PROOEMIUM

I

DE PRAESENTIS DISPUTATIONIS UTILITATE

Disputationem hanc de Vergiliana casuum syntaxi, etsi maioris laboris quam ponderis esse fateor, non tamen inutilem spero fore ad orationem Vergilii recte explicandam. Nec me quidem fallit quam imperfectum et ieiunum sit opusculum. Nam ut plane Vergiliana oratio comprehendi recteque intellegi possit, necesse videtur ut omnia, quae ad syntaxim seu verborum constructionem pertinent, dissertatione omni studio elaborata illustrentur, quae tunc demum Vergilii grammatica possit vocari. In hac vero tractanda materia pergere mihi in animo est, eamque rem instituam ut totam Vergilianam syntaxim continua disputatione persequar atque ceteras Vergilianae orationis proprietates eadem ratione disquiram, qua nunc primum hoc caput *de casuum usu* exsolvi.

Si quis vero opinabitur me rem parvam magno labore molitum esse, vulgaremque illam excusationem praetendet

fastidii, quod Vergilius, sicut et ceteri poetae, magis ad permovendum animum quam ad exacuendum mentis acumen pertineat, respondebo neminem bene animo moveri posse, quin prius intellexerit quid poeta, qua ratione, quo sermonis artificio exprimere intenderit. Non enim satis est, si quid venustum pulchrumque apud poetam occurrit, obscura quadam admiratione moveri, sed id agitur ut, quantum fieri possit, id quod venustam, nitidam et elegantem orationem efficit, ex fontibus ipsis perspiciamus, id est, omnia quae proprie ad elocutionem et quasi ad ipsam poetici sermonis structuram pertinent, singulatim perpensa habeamus.

« Ne quis igitur tanquam parva fastidiat grammatices elementa, non quia magnae sit operae consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri; sed quia interiora velut sacri huius adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quas non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. » (Quint. Inst. or. I, 4, 6.)

Qui vero poesis artificiis ornamentisque delectantur magna cum voluptate elaborabunt ut requirant et retegant quanta arte noster Vergilius verborum compositiones intexat; quae quidem inquirentis ingenium exacuunt, nec ullo modo per analysim explicari possunt. Nec minus delectabuntur in describendis lineamentis eius operis atque in indicando quem locum eius carmina in latinarum litterarum historia capiant.

Qui vero linguae latinae scientiae potissimum indulgent, multum etiam delectationis invenient in inspiciendo ipso elocutionis Vergilianae ingenio, in conferendo eius syntaxim cum elocutione et syntaxi poetarum superiorum et insequentis aetatis, et in detegendo quantam lucem Vergilii syntaxis explicata in multas latinae grammaticae quaestiones iaciat, quas aliter vix enodare queas.

Ut quemlibet latinum scriptorem legere volenti primum ediscenda est latina lingua, sic ad Vergilium accedenti edis-

cenda est illius lingua, quae peculiaris est et propria. Ut enim poetae ingenium ab ceterorum ingenio, sic et illius lingua ab ceterorum lingua distinguitur. Poetarum elocutio ab elocutione scriptorum in soluta oratione valde discrepat ; et iterum singuli poetae et prosae orationis scriptores inter se dissimiles. Lucretius propriam elocutionem, quae propius ad veterem linguae latinae morem accedit, usurpavit, paulo audaciorem et fere solutiorem, quae nonnihil a Vergiliana differt. Livius audacior et liberior Cicerone ; poetarum scilicet, Vergilii imprimis, imitator, multa adhibet quae Cicero nondum noverat. Curtius iterum grammaticas leges proprio more aut constringit aut solvit. Eae sunt quasi notae, quibus quisque orator vel poeta a ceteris discernitur.

Id igitur valde optandum videtur, ut cuique scriptori latino vel graeco interpretando praemittatur de eius linguae et elocutionis proprietatibus, vel, si mavis, de eius propria grammatica disputatio. Quicumque enim antiquitatis studiis indulgent uno consensu fatentur latinae linguae grammaticam tum demum perfectam et absolutam fore, cum diligenter investigatum fuerit qua ratione et usu dicendi singuli scriptores usi fuerint.

Multi iam doctissimi editores suas scriptorum latinorum editiones paucis notulis praemunierunt, quae quasi armentarium efficiunt, unde arma expediunt, qui scriptoris legendi et explicandi opus aggrediuntur. Id fecit in primis apud nostrates Dubner in classica Taciti editione. Taciteae enim grammaticae et elocutionis quae propria sunt uno sub aspectu compendiose in praefatione exposuit. Quod quidem latinarum litterarum discipulis magno adiumento est, qui, licet vulgari grammatica satis instituti, saepe tamen in explicanda constructione haerebunt, nisi propriam Taciti grammaticam pernoscant. Eandem rem maiori opera et subtilitate tractarunt Draeger [1] et Gan-

(1) Syntax und Stil des Tacitus, Leipzig, 1874.

trelle [1], quorum opuscula multum ad Taciti opera recte interpretanda valent, quippe ubi clara expositione condensentur maiora opera quae docti homines ingenti eruditione et labore de Taciti grammatica et oratione composuerunt. Id fecit et doctissimus Vergilii editor Benoistus in sua Vergilii ad usum scholarum editione. Nempe in illa prooemii parte quae inscribitur « *Remarques sur diverses particularités de prosodie, de grammaire et de métrique* », ea quae fusius in sua magna editione de grammatica et metrica ratione per commentarios sparserat, collegit et densavit. « Dans les notes, inquit ille, ce que l'on verra le plus souvent indiqué, ce sont les particularités de syntaxe. C'est, en effet, une des parties les plus nécessaires de l'interprétation, et bien certainement celle pour laquelle, en France, nous possédons le moins de secours..... Aussi l'auteur s'est-il appliqué à signaler, autant qu'il a pu, la valeur des cas, des modes, des temps, des particules. Pour que le lecteur pût voir d'ensemble les plus importantes particularités de la langue de Virgile, il a réuni sous le titre de *Remarques* les principales observations qu'il a jugé à propos de faire. » Tum et eruditissimus philologicarum quaestionum indagator O. Riemann optimum gravissimaque doctrina commendatum librum de Liviani sermonis proprietatibus incohavit [2], quamvis de Liviano sermone doctrina a Germano Kühnast in libro magna indigestaque mole constructo absoluta fuisse videatur [3]. Th. Vogel, qui Curtium edidit, observationes etiam praemisit de Curtianae elocutionis singularitatibus [4]. Id etiam utilitatis eae tabellae habent, ut illarum ope multis notis in ipsis commentariis supersederi possit. Longum esset omnes enumerare qui de huius vel illius scriptoris syntaxis singulis partibus disseruerunt, et ita

(1) *Grammaire et style de Tacite*, Paris, 1874.

(2) *Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live*. Paris, Thorin, 1879.

(3) *Die Hauptpunkte der livianischen Syntax*. Berlin, Weber, 1872.

(4) Q. Curti Rufi Historiarum Alexandri Magni libri qui supersunt. — Erklärt von Th. Vogel. Leipzig, 1872.

suam operam ad universam illam linguae latinae grammaticam conficiendam contulerunt. Sed cum illae dissertationes magna ex parte externos, Germanos imprimis, habeant auctores, dispersae passim iacent et praetermissae dilabuntur et evanescunt.

Quod ad Vergilium pertinet, permulta de omni quaestione enucleata sunt, nec desunt de eius syntaxi opuscula. Sed cum nullum adhuc exstet, quo omnis materia tractetur et universa Vergilianae syntaxis doctrina illustretur, aggressus sum, quae de Vergiliano casuum usu fusius passim disputata sunt, nunc in libellum condensata breviter et luculenter, quantum fieri potuit, exponere.

Multo mihi adiumento haec fuerunt opuscula:

Der Dativ der Richtung, von Schrœter.

Der Dativ bei Vergil, Programm des Staats-Gymnasiums zu Innsbrück, 1873, von Dr Dittel.

De ablativi apud Terentium usu et ratione scripsit Aug. Heinrichs, Elbingae, 1859.

De casuum usu Horatiano, auctore Ebeling, Wernigerodae, 1866.

Ueber einige Zeitwörter, welche bei Cicero, Caesar und Livius mit dem blossen Ablativ und den praepositionen a, de, ex, *verbunden werden.* Programm zu Dortmund, von Dr Hildebrand, 1859.

Der Factitive Dativus bei Römischen Dichtern und Prosaikern, von Franz Nieländer. Programm 1877, Schneidemühl.

Tum et multa in usum meum ex libris Draegeri (1) et Kühneri (2) detraxi, ad quos utique iis devertendum, qui latinam linguam student perdiscere.

(1) Historiche Syntax der lat. Sprache. Leipzig, 1874-77.

(2) Ausführliche Grammatik der lat. Sprache. Hannover, 1877-79.

II

Sed qua de causa potissimum ad Vergilium me contulerim, non ad alium minus tractatum scriptorem, sive posterioris aetatis, paucis exponendum esse existimo. Nam multi viri, et ii quidem doctissimi, in Vergilio emendando et commentis illustrando fere immensam operam consumpserunt, et merito dixerim nostram aetatem huic operi conficiendo et perficiendo tantam laboris summam praestitisse, ut vix quid sit ultra efficiendum appareat. Fateor me paulo audaciorem videri, qui de Vergilio, cuius opera ab Wagnero, Forbigero, Coningtone, Ladewigio, Benoisto, Ribbeckio, ut ceteros taceam, tanta eruditione illustrata sunt, aliquid novi et inauditi in lucem proferre videar. Apud Wagnerum ipsum excusationem incepti invenio; nunc enim dicere etiam licet, quod clarissimus ille Vergilii commentator in praefatione Heynianae editionis a se recensae recte scripsit. « Vergilius is est scriptor qui, licet plurimorum omnique laude florentium virorum studia expertus sit, tam immensam adhuc praebet ad meditandum commentandumque materiam, ut homo et ingenio et doctrina abundans totam aetatem si in uno hoc poeta emendando, explicando, illustrando contriverit, rem vix possit eo quo cupiat adducere. »

Omnibus notum praetarea Vergilium et Ciceronem maxima inter omnes latinos scriptores puritate, elegantia et abundantia eminere, maximosque, ut ita dicam, latinae orationis artifices fuisse, ut vere dici possit apud eos latinam linguam

quasi totam residere et explicari. Qua de causa nostrarum scholarum discipulis potissimum iidem admirandi commentandique iure proponuntur. Iam apud Romanos pueris legendus Vergilius cum Homero tradebatur, quod Quintiliano valde probatur: « Ideoque, ait, optime institutum est ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet, quanquam ad intellegendas eorum virtutes firmiore iudicio opus esset. » Vergilium tum idem Quintilianus contendit solum esse inter latinos poetas ad iuvenes ad eloquentiam informandos idoneum. « Ceteri omnes, inquit, longe sequentur. Nam Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiae faciant. » (Lib. X, cap. 1.)

Vergilii igitur opera maximi sunt momenti, et plurimum ad poeticam latinorum linguam evolvendam perficiendamque contulerunt. Latinas enim litteras et universa poetarum opera uno aspectu circumspicienti apparet Vergilii opus ut medius locus ad quem undique ceterae litterarum partes vergere videntur. Linguam ipsam Vergilii ut tantum attingam, quoniam de hac una in praesenti opusculo agitur, Vergilius veterem illam Latinorum linguam, rudem scilicet et asperam ductu naturaque ipsa poeticae amplificationi repugnantem, suo accommodavit ingenio, et tandem elocutionem sermonisque structuram ita perfecit, ut per omne insequens tempus exemplar perstiterit, quod sibi imitandum omnes poetae proposuerint qui hexametro versu poemata condiderunt.

III.

Ut prorsus intellegamus recteque percipiamus quae sit Vergilianae orationis laus et virtus, et qua de causa Vergilius inter latinos poetas ceterosque scriptores principatum obtinere vulgo praedicetur, necesse videtur singulorum ab initiis scriptorum opera perlegere eorumque loquendi usum et rationem diligenter perpendere. Sic enim nobis per latinas litteras quasi iter instituentibus liceret omnia quae ad latinam syntaxim pertinent, minimas etiam et abconditissimas eiusdem partes, scrutari certisque indiciis notare qua ratione paulatim lingua processerit, et quo pacto nativum quidem servans ingenium, multas tamen ex graeca syntaxi mutuata rationes sese perfecerit et evolverit, et tandem ad illam amplitudinis maturitatem splendidamque abundantiam, quae in Vergilio ceterisque aureae aetatis scriptoribus nitet pervenerit.

Id vero per omnes partes describere longum esset neque ad meum propositum pertinet. Satis erit si latinae linguae compendiosam constrictamque ad Vergilium usque historiam paucis adumbraverim. Inquirenti enim breviter quomodo, populo Romano sese paulatim ad Graecorum humanitatem informante, lingua latina ex primordiali ruditate ad Romanam suavitatem pervenerit, grammaticasque rationes immutaverit, clarius innotescet quantum Vergilius ad hanc perficiendam contulerit.

Ut apud Graecos, sic et apud Latinos prosae orationis mo-

numenta sero apparuerunt ; prosa enim oratio se tardo gradu evolvit et longum post tempus ab incunabulis expedita est. Antiquissimum quidem huius primae aetatis monumentum habemus *fratrum Arvalium carmen*, tam rude et incompositum tamque ab ceteris monumentis usquedum notis diversum, ut frustra eruditissimi latinitatis viri illud interpretari conati sint. Eadem hac primordiali Latinorum lingua, quae prisca vocari solet, conditum exstat *Saliare carmen*, cuius et quaedam partes nulla grammaticorum adhuc subtilitate enodari potuerunt. Quid mirum ? Haec Romanis Ciceronis tempore iamdiu non ad intellegendum aperta erant, et ii ipsi, qui in antiquitatis rebus se subtiliter versatos esse et priscam noscere linguam praedicabant, Saliorum tamen carmen non poterant intellegere, ut ex Horat. Epist. II, 1, 84 constat :

« Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri. »

Quintilianus quoque sacerdotes ipsos non iam ea quae canunt carmina intellegere testatur I, 6, 40 : « Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta. »

Tunc et *Leges regiae*, *Lex tribunicia prima*, *XII Tabulae*, ceteraque eiusdem aetatis monumenta non minus Romanis obscura fuisse videntur, solisque grammaticae latinae scriptoribus nota, qui in illis interpretandis multam impenderunt operam. Ea enim scripta ait Cicero iamdiu oblivioni tradita esse (pro Rabir. 4, 3) : « Quae verba iampridem, inquit, in hac republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt. »

Lingua ista Romanis Ciceronianae aetatis tanta humanitate expolitis tantum ab ipsorum sermone abhorrebat, ut eam omnino despicerent. Nec illud mirum, cum Cicero queratur se apud Catonem ipsum, cuius orationem tamen vehementer laudat commendatque, horridiora verba invenire (Brut. XVII, 68). Eodem verbo Horatius, veterum contemptor, prisca illa

carmina vituperat Epist. II, 1, 157 « Sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius. » Lingua enim tunc rudis et inculta, ut et hominum mores et victus. Simplicissima syntaxis et plane imperfecta. Nullae conformantur enuntiationes, quippe quarum partes certis legibus et modis inter se non coniungantur. Quin et nullam certam formulam rationemque scribendi tunc exstitisse ex iis monumentis constat. In iis enim monumentis nihil documenti nobis inest, quo grammaticas leges dignoscere possimus, aut quae fuerit eruditorum Romanorum lingua, qua iterum acta publica habita sint, qua litterati, qua plebes usa fuerit.

Haec pristina lingua, quae nondum Latina erat, sed aspera et informis Romanae plebis dialectus, fere ad Punici belli tempus perstitit. Nonnihil tamen sese paulatim ab antiqua ruditate expediverat. In ea autem aetate quae est a primo bello Punico ad Sullanum tempus, cum Romani sese ad summum in omnibus rebus laudis fastigium extulissent, philosophorum disciplinis, rethorumque praeceptis simul ac rei militari indulgentes, cum et multa nova instituerent, nova cogitarent, nova de omni re scirent, tunc factum est ut lingua ipsa renovaretur, nova vocabula et verborum compositiones admitteret, sed naturae convenienter suae, ut nativum eius ingenium non immutatum, sed corroboratum, auctum locupletatumque fuerit.

Iam quidem Romanis cum Graecis erat commercium ; plerique patriciorum graecis litteris imbuti Graecam linguam exercebant, et sese omni Graecorum doctrina et humanitate informabant. Necesse igitur fuit ut lingua latina multa in suos fines reciperet quae graecum saperent. Porcius Licinius vere apud Gellium XVII, 21, dixit :

> « Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
> Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram. »

Musa vero pro litteris graecis hic habenda est. Tunc lingua

purior fortiorque simul efficitur; stabiliuntur loquendi rationes et formae verborum ; soni inflexusque clariores mollioresque fiunt ; vocabula conformantur et numero augentur, prout ad novas cogitationes exprimendas opus est. Lingua novis loquendi formulis ex graeco fonte derivatis instructa et ornata graecum colorem induit. Ex iis vero novis verborum constructionibus quae ex graeca syntaxi in vetus latinae linguae genus irruperunt, aliae se latino ingenio innexuerunt et accommodarunt iusque civitatis, ut ita dicam, acceperunt, aliae vero, hospitio tantum acceptae, propriam semper servarunt naturam ideoque hellenismi vocantur.

Tunc primum vere adolescere incipiunt latinae litterae, romanumque ingenium, ab externis quasi commotum ingeniis, ad omnia quae ad humanitatem pertinent imitanda incitatur.

Poetae primi linguam exercuerunt et auxerunt, epici quidem et dramatici. Sed et viri etiam mox exstiterunt, qui in rebus publicis versati, ad prosam orationem informandam et excolendam multum contulerunt et linguae severam sanamque indolem impresserunt. Tunc lingua rustica vel vulgaris ab *latina* discernitur, quae iam suas grammaticas leges habet, quae est poetarum et oratorum, et ideo communis eruditorum lingua. Huius aetatis Romani *latine loquuntur*, ut ait Cicero de Orat. III, 11, 40 : « Ut *latine* loquamur, » et scriptores proprie *latini* sunt habendi. Iam nunc vera latinitas informatur, a qua posterioris aetatis scriptores, in eo scilicet quod ad vim et naturam linguae pertinet, non multum deflexerunt. De oratione enim Catonis haec Cicero declarat : « Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba; ita enim tunc loquebantur; id muta, quod tunc ille non potuit, et adde numeros, ut aptior sit oratio ; ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt; iam neminem antepones Catoni. » (Brut. 17, 80). Ceteri etiam eiusdem aetatis scriptores, poetae imprimis, Livius Andronicus, Pacuvius, Plautus, Ennius, Terentius, Lucilius, in id

omni studio intenti fuisse videntur, ut res quas sibi tractandas a graeca copia detraherent, latina et pura oratione eloquerentur. Nec solum pure et emendate, sed et suaviter loqui student. Cornelio enim Cethego Ennius apud Ciceronem (Brut. 15, 57), os suaviloquens esse dixit[1]). Cato ipse, postquam diu irruenti Graecorum subtilitati obsistere frustra conatus est, sermoni magis expoliendo indulsit, ita ut eius oratio, rudis licet et soluta, quod exprobrat Cicero, virilis tamen et valida, sana et accurata videatur. Naevium et ipsum Cicero laudat, quod *luculente* scripserit, eiusque opera sint subtiliter et veritati convenienter composita. Naevius et thesaurum linguae latinae auxit, ut Ennius multa ab eo potuerit mutuari, quae nova viderentur.

Ennius vero latinam poesim et linguam expolivit, et latinae linguae praecipuus informator possit haberi, licet Ovidius illum « ingenio maximum, arte rudem » declaret. In verbis inter se coniungendis et disponendis arte caret, sed latinae linguae thesaurum, a superioribus auctum, servavit intactum, auxit etiam. Ex dura et soluta eam effecit secum cohaerentem et fluxam, quod ex fragmentis eius quae supersunt elucet.

Quod autem ad puram et amoenam latinitatem attinet, Plautus principatum multi obtinere existimant; quanquam Terentius primus omnium sermonis elegantiae certa ratione studuit. Ambo autem in historia linguae latinae eundem tenere locum, quem Homerus in litterarum graecarum historia tenet, videntur. Plauti vero oratio magis ad popularem sermonem accedit, et apud eum multa occurrunt, quae vulgo imperiti loquuntur nec consensu eruditorum commendantur. Non enim doctorum virorum gravitatem, sed plebis vividum sermonem et procacitatem in scenam profert. Oratio eius plane dilucida et pura, sed libera et paene dissoluta. Maiorem itaque in verborum constructione diversitatem esse

(1) Cf. Ennius. Ann. 304

apud eum quam apud quemvis alium nemo admirabitur. Permultae tamen loquendi formulae quae Plautinam orationem quasi proprio colore insignire videntur, apud Vergilium recurrent. Multum enim valuit ille ad syntaxis leges stabiliendas, et eius dicendi ratio parum ab eorum ratione scriptorum, qui classici vocantur, discrepat.

In Terentio, qui ultimus antiquae latinitatis auctor dici potest, quemque Caesar vocat « *puri sermonis amatorem*, » minus roboris inest ; sed eius sermo elegans et purus, fere oratorio generi similis ; illam orationis elegantiam et concinnitatem in medium protulit, quae *urbanitas* vocatur. Non iam apud eum illae occurrunt dicendi licentiae et curtatae formulae, quas in Plautino sermone frequentes invenimus. Laudat ipse in suis prologis illam *puram orationem* quae suarum comoediarum propriam esse contendit : Haut. prol. 46 : « In hac est *pura oratio*. » Elegantiam poetae laudat Quintilianus X, 1, 99 : « Terenti scripta— sunt in hoc genere *elegantissima*. » Quae laus scribendi apud eum tanta fuit, ut « eius fabellae propter *elegantiam sermonis* putarentur a Laelio scribi. » (Cicero ad Att. VII, 3, 10.) Non multum iam ab aureae aetatis scriptorum oratione abhorret, quanquam quasdam adhuc formas admittit, quae antiquam sapiunt latinitatem, v. g., *potiri*, *abuti*, *fungi* cum accusativo, *decet*, *dolet* cum dativo, et illud Plautinum : *me excruciat animi*.

Insequenti aetate, quae est ad Augustum, latina lingua celeri se progressu evolvit et ad illam orationis perfectionem evecta est, quae tandem *Romana lingua* proprie fuit, et excultorum eruditorumque virorum opera sese in plenum laetissimumque florem expandit et dilatavit. Tunc e latina lingua romana sese expedivit. Haec fuit « Vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum. » (Cic. de Orat. III, 12, 44.) Primum enim lingua certis adstricta est legibus, quibus singuli scriptores, licet ingeniis

discrepantes, sese tamen in eo accommodabant, quod pure et Romane loqui studebant. Quod ut assequerentur, paulum iis commutandus fuit verborum ordo, et grammatica ratio aptius et plenius instituenda. Id recte Cicero descripsit (Or. 70, 233) : « Si alicuius inconditi adripias dissipatam aliquam sententiam, eamque ordine verborum paulum commutato in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. » In id reipsa Ciceronianae et Augustianae aetatis scriptores intenderumt operam, ut id, quod in antiquis scriptoribus *diffluens et solutum* esset, *aptum* efficeretur. Ea autem fuit propria Ciceronis laus et Vergilii. Licet enim latine loquendi usus in superiori aetate, quoad ipsam linguae naturam, ad certas iam leges redactus sit, quae et postea viguerunt, non tamen negari potest latinos scriptores tunc maiori diligentia in verbis adhibendis et componendis usos fuisse, nec ullum verbum ullamve verborum compositionem in suos fines recepisse quin prius aurea, ut ita dicam, libra perpenderint, ut oratio quae iam ante emendata et latina erat, tunc ornata et quasi Romana humanitate colorata nitescat.

Apud Ciceronem lingua tandem firmata et stabilita exsistit, quin et vere dixerim eam ab illo sacratam fuisse. Nemo enim Romanus aeque ingenium linguae perspexit et ad sua cogitata accommodavit. Linguae ditavit paupertatem, nova verba vel a graeco sermone adscivit, vel nova ratione concreta edidit, iure tamen illo nova fingendi moderate usus. Ad Graecorum disciplinam informatus, verborum compositiones et totius ambitum orationis et complexionem ita perfecta ratione instituit, ut nemo alius ipsi comparandus videatur.

Quod autem de Ciceronis prosa oratione, id de Vergilii poetica elocutione praedicandum est. Apud Vergilium enim eam invenies puram et veram latinitatem, de qua Cornificius (ad Herenn. 4, 12) dicit : « Latinitas est quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. » Inter illos scriptores

numerandus est qui veram latino sermoni indolem et nativum ingenium impresserunt, eumque ad summum venustatis et elegantiae fastigium evexerunt. Nihil enim nisi antiquum latinae linguae corpus, ut se temporis progressu auctum evolverat, in usum sibi convertit. Perpauca tamen novavit, quo factum est ut a Ciceroniana oratione eius elocutio paulum discrepet. Antiquae consuetudinis loquendi formulas innexuit, quibus orationi hunc colorem hancque proprietatem induat, sine qua poesis esse non potest. Nec solum ad antiquitatem, sed et ad Graecorum copiam digressus est, ex qua multa ab aequalium usu aliena decerpsit, quibus moderate parceque dispersis, poeticae linguae thesaurum compleret. Vergilius enim quovis alio aptior fuit, qui illam Graecam subtilitatem percipiat et sibi vindicet, quippe qui quasi graeco ingenio praeditus a natura fuisse videatur.

Id vero Graecae linguae proprium, ut maiori libertate enuntiationis verba coniungat. Cum, v. g., ablativo casu graeca declinatio careat, huius casus partes gerit apud Graecos nunc genetivus, nunc dativus. Unde causa patet cur Vergilius quaedam verba vel adiectiva, quae ablativum post se requirunt, cum genetivo construat.

Non tamen ita se ad Graecos contulit, ut omnia quae eius syntaxis propria esse videntur et quasi exterum habitum gerunt, ex Graecorum ubertate depromerentur. Vetus enim Latinorum lingua magna construendorum verborum libertate gaudebat, et plane incertae sunt ab origine leges loquendi. Multa igitur quae, si nimia celeritate iudicamus, ad Graecorum imitationem referenda videntur, propius inspectantes non iam Graecis, sed veteribus Latinis adscribenda esse agnoscimus. In hoc igitur mihi Kühnast errrare videtur, in illa de Liviana syntaxi dissertatione quam supra laudavi, quod, ubicumque constructio ab quotidiano aequalium usu deflectit, hellenismum odoratur. Apud Vergilium contra, quae saepe a Ciceroniana oratione aliena occurrunt, non ad Graecorum, sed ad veterum Latinorum usum sunt referenda.

Ea igitur fuit Vergilii opera ut cum in linguae thesaurum antiqua revocando, graeca inducendo, tum nova fingendo, orationem ad poeticum usum effinxerit. Lingua enim Romana, optime ad eloquentiam et quotidianum loquendi usum accommodata, non ea erat quae mollis cadensque ingenium poetae sequeretur. Non ita ad poesim tractabilis. Cuius rei causa in eo invenitur, quod Romani non eo spectabant. Mirum in modum illam Vergilius inflexit et ad suum ingenium informavit. Non solum enim inopem et rigidam novis vocabulis ditavit, quod et Cicero iam fecerat, sed et novas verborum constructiones ante ipsum inusitatas intulit; novas et verbis notiones subiecit, quae post eum immanserunt. Sed haec omnia prudenter et parce, ita ut lingua, ipsum ingenium servans, paula tantum flexibilior et ad scribentis voluntatem docilior fiat.

Ut apud Ciceronem prosa, sic apud Vergilium poetica oratio perfecta omnino et absoluta sese expandit. Unde recte, credo, dixerim ex Cicerone et Vergilio legum codicem excerpi posse, quibus latina lingua, Romana facta, iam nunc regenda videatur. Neque solum syntaxis leges aereis quasi tabulis defiguntur, sed et verborum thesaurus completur, neque iam posteriorum aetatum scriptores quidquam, nisi quaedam ex graeco fonte derivata, et ad grammaticorum sermonem accomodata, immutandum aut novandum habuerunt. Poetae vero omnes Vergilii locutiones et formulas iterum protulerunt et sibi vindicarunt, quasi nulla alia possit inveniri forma orationis perfectior, qua poeticum carmen sit induendum. Adeo ut series poetarum exstiterit, qui ita se imitando Vergilio addixerunt, ut vulgo *pseudo-Vergiliani* vocentur. Nec solum poetae, sed etiam historici scriptores, Livius inprimis, a Vergilio loquendi formulas in suam orationem receperunt. Neque id mirum. Historiae enim oratio ab oratorio genere discrepat eamque magis ad poeticum genus accedere Quintilianus ait X, 1, 31: «Est enim (historia) proxima

poetis et quodammodo carmen solutum, et scribitur ad narrandum, non ad probandum; totumque opus non ad actum rei pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur; ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat. »

Eo igitur maiorem vim in Livium Vergiliana oratio exercuit, quo magis illius ingenium natura ad poeticas res inclinabatur. Praeterea elatum et grande opus, ut Vergilius, sibi tractandum proposuerat. Itaque eius oratio poetico et Vergiliano quodam colore suffunditur (1). Unde fit ut multae verborum structurae quae poetarum sunt propriae et a Vergilio vel primum usurpatae, apud Livium iterum occurrant. Cuius cum dicendi genus et oratio poetico motu et oratoria arte temperetur, medius quasi conciliat classicam vel auream aetatem et insequentem, quae etiam argentea vocatur, earumque virtutes in illum utrinque conveniunt.

Non vero diu flos ille orationis, quem in Vergilio, Cicerone Livioque miramur, permansit. Nam continuo in insequenti aetate ex illo splendore excidit et ad corruptionem impulsa dilabitur. Optima quidem adhuc et delecta est oratio, sed nimio eius expoliendae studio scriptores eam deformant et depravant.

Tunc celeriter in peius ruit et ab antiqua virtute descivit, donec plane emortua est nec iam apud populum in usu fuit, sed tantum apud doctos viros conservata, novorum et extraneorum immixtione verborum adulterata, vulgaris quaedam dialectus effecta est.

Merito igitur nos Vergilius potissimum ad suum opus pertractandum et minutatim investigandum allexit.

Restat ut pauca, priusquam ad casuum doctrinam apud Vergilium transeo, de poetica elocutione praemittam.

(1) Cf. O. Riemann. *Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live*, pag. 13, note 2; pag. 17, note 3.

IV

Non de omnibus disserere consentaneum rei videtur, quae ad linguam poeticam pertinent, sed pauca tantum de prosae et poeticae orationis differentia breviter exponere velim atque ea tantum attingere quae ad grammaticam rationem, id est, verborum structuram et compositionem pertinent.

Quod ad ipsa vocabula attinet, neminem fugit alia prosae orationis, alia poesis propria esse ; alia vel aliam formam in poesi, aliam in prosa oratione accipiunt, cuius generis sunt formae antiquiores et rariores, quae per vetustatem vel insolentiam gravitatem aliquam et dignitatem addunt orationi.

Tunc et de significatione verborum non eadem prosae et poeticae orationis ratio est. Verborum enim significatio duplex : altera simplex et nativa, altera translata, quam tropicam vocant ; quarum simplicem praecipue ad prosam orationem pertinere, tropicam autem in poesi quasi domicilium habere in promptu est.

Tertia res, qua prosa dictio a poetica differt, et de qua hic praecipue agitur, est in nexu verborum sive constructione posita. Prosae orationis constructio, utpote quae ad claram rerum intellegentiam idonea esse debeat, simplicior strictiorque et sibi constantior est. Poetica vero, quae magis ad animi oblectationem accommodata esse debet, liberior, audacior, et, ut ita dixerim, luxuriosior ; illamque diligentiam, quam prosae orationis constructio exigit, etiam vitare et studiosius

effugere solet quadam orationis perturbatione ab omni regularum necessitate remota.

Multa vero quae poeticae dictioni propria sunt et vulgo licentiae (*licences poétiques*) appellantur, et a generali regula et norma deflectunt, ad antiquum loquendi usum pertinent. Illud enim est proprium poeticae linguae, ut antiquo more et usu interdum enuntiationis partes coniungat; pleraeque igitur constructiones, quae apud poetas novae et insolitae videntur, reipsa antiquae sunt habendae, easque non licentias, sed archaïsmos recte vocaverim.

Illud enim proprium esse poetarum privilegium Cicero nos monet, Orat. III, 38, 153 : « Inusitata sunt prisca fere ac vetusta et ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae. » Quintilianus idem de veteribus vocabulis asserit Inst. I, 6, 1 : « Vetera (vocabula) maiestas quaedam, et, ut sic dixerim, religio commendat. » Nobis autem propius rem considerantibus id sane compertum erit eo poetarum elocutionem ab oratione pedestri maxime dissidere, quod quasdam verborum compositiones valde simplices habeat, in quibus enuntiationis verba non docte et elaborate neque arcto rectionis vinculo, sed liberius inter se coniungantur. Quod quidem certum et manifestum antiquitatis indicium esse nemo negabit. Cuiuslibet enim linguae structura, si ab origine repetatur, valde simplex est, et verborum constructio liberioribus legibus regitur et continetur. Dein, prout populus magis ad humanitatem et artes excolitur, lingua, qua utitur, adolescit increscitque, vires suas evolvit et expromit, et usus loquendi maiori subtilitate innectitur. Quod Wagnerus [1] tam docte et accurate de Infinitivo historico dixit, id ad totam cuiuslibet populi linguam accommodari potest. « Antiquissimis temporibus, verbo nondum per tempora et modos digesto, solo

(1) Quaestiones Vergilianae, in editione Vergilii Heyniana a Wagnero curata, Quaestio XXX.

utebantur infinitivo: quae ratio loquendi, ut est balbutientis infantiae, ita hodieque invenitur apud populos quosdam rudes et barbaros, retenta interdum illa quidem etiam a cultoribus populis. » Quod autem de verbo, id de nomine, id de rectione dicendum. Casuum usus primum fuit valde incertus promiscuusque; idem enim casus ad permultas relationes valuit exprimendas. Accusativus, ex. gr., largiori sensu finem actionis indicabat, sive in locum, sive in rem, sive in personam dirigebatur: *ire urbem*, *amare filium*. Dein bipartitus est usus: locus scilicet per praepositionem cum accusativo, persona aut res per accusativum solum expressa.

Hic locus esse mihi videtur pauca de praepositionum usu interserendi. Poeticum sermonem et pedestrem siquis accuratius inter se comparaverit et intimam utriusque rationem inspexerit, eo potissimum inter se differre eos iudicabit, quod ille antiquum usum et simplicitatem retinens, plurimas rerum sententiarumque relationes quam paucissimis structurae et compositionis generibus exprimit, hic autem multo plura compositionum genera sibi vindicavit novisque loquendi legibus adstringitur. Constat enim praepositiones in lingua latina, ut in graeca, primitus adverbia fuisse, nec ad nomen, sed ad verbum relationem habuisse. Maior enim casuum erat copia, per quos omnes notionum relationes satis exprimebantur. Inde fit ut, cum Vergilius praepositionem post verba motum *quo* vel *unde* indicantia omittit (*urbe egredi*, *montibus cadere*, *Italiam venit*, *devenere locos laetos et amœna vireta*) antiquorum Latinorum loquendi consuetudinem usurpat, qui non praepositione, sed casuali nominis terminatione hanc localem relationem exprimebant. Post multa alia verba quae prosaici scriptores cum praepositione et accusativo vel ablativo construunt, poetae dativum vel accusativum, vel ablativum solum ponunt. Cic. de Am. 1, 2: « Cum is tribunus plebis capitali odio *a Q. Pompeio* dissideret; » —Verg. contra A. VII, 369, idem verbum *dissidere* sine praepositione cum

solo ablat. construit: « Terram quae *dissidet sceptris* nostris. » *Arcere* apud prosaicos plerumque ablat. cum *ab* post se habet; Vergilius vero A. VII, 316: « Ast alias longe submotos *arcet harena.* » Verba *certandi* et *comparandi* cum abl. et praep. *cum* solent construi; poetae vero, Vergil. in primis, praep. omittunt et dativum solum eiusmodi verbis subiungunt; Georg. II, 99: « *Cui* non certaverit ulla; » ibid 137: « Laudibus *Italiae* certent; » Hor. Od. II, 6,15: « Viridique certat bacca *venafro*; » Serm. II, 5, 19: « Certans *melioribus.* » Sed plura exempla quae hanc differentiam confirment suo loco afferentur. Poetae verba passiva graeco more saepe cum dativo personae agentis construunt, quod quidem et pedestris orationis scriptores imitantur et post participia perfecti et tempora ab eis derivata dativum interdum admittunt.

Aliae poetis usurpatae constructiones, ad graecam syntaxim, eae in primis quae ad casuum usum pertinent, sunt referendae, et hellenismi vocantur. Omnes Augustaneae aetatis poetae, Vergilius in primis, et Horatius, Ovidius, Tibullus, Properutis, has graecas in latinam linguam induxerunt locutiones, quas ipsi prosae orationis scriptores, poetas imitati admiserunt. Sic apud Livium magna hellenismorum copia occurrunt, quos quasi in immensitate operis latentes diligenter excerpsit Kühmast in libro iam laudato de Liviana syntaxi. Haec Graecorum in verbis connectendis imitatio totam illam latinitatem pervadit et penetrat, quae argentea dicitur. Tacitus ante omnes, qui sibi multo magis quam ceteri Vergilianae orationis libertatem proposuit imitandam, plures etiam graecas locutiones usurpavit. Qua graecissandi libertate ita abusus est Apuleius ut vere pudenda eius oratio videatur.

Ex iis quae de prosae et poeticae elocutionis differentia pauca tantum attigi, iam perspici potest qua de re casuum syntaxim, vel, ut aiunt, syntaxim rectionis apud Vergilium potissimum tractandam mihi proposuerim. Nemo enim est qui non videat in ea syntaxis parte plurimas scriptorum differentias apparere. In eo enim maxime inter se scriptores Latini discrepare videntur, quod non eadem ratione nomina vel verba regentia construunt relationesque rerum casibus exprimunt. A prosa oratione poetica differt, quod, id quod iam antea diximus, et omnibus perspicuum est, liberior est poetis casuum usus, et iterum inter se poetae discrepant, quod propius ea de re ad prosae orationis normam accedunt, vel contra ab eadem discedunt. Pleraeque enim licentiae quae apud Vergilium occurrunt, hac in syntaxis parte versantur.

Tum et vere dici potest casuum usum fere linguae visceribus inhaerere atque sermonis latini quasi fundamentum esse, ita ut confirmare non dubitaverim latini cuiusvis scriptoris indolem magna ex parte in casuum usu sitam esse. Rem ut exempla confirmem, Vergilius et Cicero, qui tantum latinae linguae splendorem induxerunt, maxime, quod ad linguam ipsam et syntaxim attinet, inter se differunt, quod casus praepositionesque post verba regentia non eadem ratione construunt. Cicero dixisset: « *In lucis habitamus,* » Verg. vero: « *Lucis habitamus opacis.* »

Eae autem loquendi proprietates, qui hellenismi vocantur,

pleraeque ad casuum constructionem pertinent. Hellenismus est v. g. genetivi constructio post quaedam verba vel adiectiva quae cum alio casu, ablat. scilicet, cum vel sine praepos. coniungi solent. Graecum est, et ideo apud Latinos poeticum, Verg. Ae. XI, 126 : « *Iustitiaene* prius mirer *belline laborum.* » (= Causa iustitiae, propter iustitiam) ; graecum est et illud Hor. Od. III, 30, 11 : « Regnavit Daunus *agrestium populorum.* » Quod graece dicitur κρατεῖν τινος. Graecum est et poeticum accusativi usus post adiectiva vel participia passiva ad partem rei vel personae indicandam, ad quam qualitas vel status adiectivo vel participio expressa pertinet (redimitus *tempora* lauro), et ideo recte a grammaticis accusativus graecus vocatur.

Multa alia afferre possem ad id quod dixi comprobandum, ex casuum doctrina propriam scriptoris indolem illucere. Huc adde nullam esse syntaxis partem in qua magis grammaticorum, nostratum in primis, ingenium se exercuerit, nullam iterum de qua tam inter se discrepantia ab iisdem proferantur. Ex quibus id ego excerpsi, quod mihi doctrinae tunquam essentia videtur, et diversas de ea re doctrinas in quamdam synthesim conciliare conatus sum, in id praecipuam impendens operam, ut omnia quae sunt poetarum propria, eaque praesertim quae propria Vergilii esse comperui, singula suo loco enumerentur et brevi disputatione collustrentur.

CAP. I.

DE NOMINATIVO ET VOCATIVO

Nominativus est casus *subiecti* et indicat relationem subiecti ad praedicatum. Congruentiae legibus convenienter attributum, sive adiectivum sive substantivum, et praedicatum sive adiectivum sive substantivum quae ad subiectum referuntur, casu nominativo ponuntur.

Post autem verba *sentiendi* et *dicendi* activo genere usurpata accusativus cum infinitivo poni solet, et attributum infinitivi cum subiecto congruens in accusativo construitur: *Dicebat se esse beatum.* Invenitur tamen apud Vergilium ea constructio in qua, ubi idem est subiectum infinitivi et verbi regentis, accusativo omisso, solus infinitivus additur, et praedicatum infinitivi casu nominativo ponitur. Quod quidem fit etiam in prosa oratione, sed cum solis verbis *volendi* et *cupiendi.* Ea enim cum verbis *sentiendi* et *declarandi* infinitivi cum nominativo constructio poetarum est et per graecismum explicanda. Graeci enim dicunt: ὁ Ἀλεξανδρος ἐφασκεν εἶναι Διὸς υἱός. Sic et Vergilius graecam constructionem imitatus A. II. 337: « Sensit medios *delapsus* in hostes »; graece translatum: ᾔσθετο ἐμπεσών. Qui hellenismus ita sententia complenda explicandus videtur: « Delapsus sensit se delapsum esse. » Eodem principio haec constructio nititur atque ea quae prolepsis vocatur. Quod ad sensum attinet, fere idem est ac si accusativus cum *esse*

coniungatur. Geo. II. 510: « *Gaudent perfusi* sanguine fratrum. » = se *esse perfusos* ; A. IV, 306 : « Sperasti — tantum posse nefas *tacitusque* mea decedere terra? » = te tacitum. A. X, 500: « Quo nunc Turnus ovat spolio *gaudetque potitus* »; XII, 6 : « *Gaudetque* Comantes *excutiens* cervice toros. » Ovidius Ars. am. I, 345 audaciori etiam licentia post *gaudere* verbum *esse* exprimit et accusativo omisso attributum in nominativo ponit: « Gaudent tamen *esse rogatae*. » — A. II, 388: « Quaque ostendit se *dextra* (fortuna) sequamur. » Hic nominativus per prolepsin construitur, id est, attributum quod ad nominativum *fortuna* quasi simplex adiectivus referri videtur (fortuna dextra) reipsa praedicati notionem complet: qua se ostendit dextra = qua fortuna ostendit se dextram, vel: se ita nobis ostendit ut eam esse dextram constet. III, 310 eadem attractionis genere : « *Verane* te *facies*, *verus* mihi *nuntius* adfers? » Ubi vide Benoisti adnotationem ; — V. 373: « Qui se Bebryca *veniens* Amyce de gente ferebat »; *veniens* ad subiectum quidem referendum est, sed reipsa idem est atque *se venientem* referebat ; Cf. Benoisti adnot. A. I, 314: « Sese tulit *obvia* », id est, ita ut *obvia* sit. VI, 879: « Non illi se quisquam impune tulisset *Obvius* armato, » — XI, 895: « *Primaeque* mori moenibus ardent. »

Cf. Catul. IV, 1 : « Phaselus ille quem videtis, hospites, *ait* fuisse navium *celerrimus*. » Hor. Epist. I, 7, 22 : « Vir bonus et sapiens dignis *ait* esse *paratus* », graece φήσιν εἶναι ἕτοιμος. — Tibul. III, 4, 60 : « Nec *gaudet* casta *nupta* Neaera domo. » Lucan. IX, 1037 : Tutumque putavit Iam *bonus esse socer*. » Ovid. Met. XIII, 141 : Qualia rettulit Aiax esse Jovis *pronepos*. » Notanda denique est haec Prop. II, 7, 45 participii constructio, quae plane ab usu et more latinae linguae abhorret, et Graecae constructionis est imitatio : « *Visura* et quemvis nunquam *speraret* Ulyssem » = se visuram.

Cf. Stat. Theb. 1, 337 : « *Venturaque* rauco ore minatur hiems » = se venturam esse.

Hanc de nominativi usu pro accusativo positi disputationem, quamquam rectius forsan ad infinitivi usum pertinet, hic tamen praemittendam esse censui. Cuius rei excusationem in eo positam habeo, quod nominativus accusativum detrudere eiusque usurpare locum vedetur.

2. *Vocativus* est casus quo res vel persona vocatur aut compellatur. Nihil aliud est quam nominativus sine ulla ad praedicatum relatione, nec ullo modo cum propositione cohaeret. Attributa quae ad res vel personas compellatas tanquam epitheta vel per appositionem proxime referuntur in vocativo poni solent: Verg. A. IV, 265 : « *Tu* nunc Carthaginis altae Fundamenta locas.....? Heu ! regni rerumque *oblite* tuarum. » Si vero ad praedicatum, id est, ad verbum ipsum referuntur, tum in nominativo ponuntur : mi homo, quam *exspectatus* venis !

Sed apud poetas invertitur saepe constructio, atque attributa in priori relatione in nominativo, in posteriori vero in vocativo ponuntur.

(A) **Nominativus pro vocativo.** — Verg. A. VI, 835. « Proice tela manu, *sanguis meus!* » XI, 464 « Equitem, *Messapus*, in armis, et cum fratre *Coras*, latis diffundite campis. » Ecl. VII, 46 « Muscosi fontes, et somno mollior herba, Et quae vos rara viridis tegit *arbutus* umbra, Solstitium pecori defendite. » = (et arbute, quae tegis fontes et herbam, etc.) A. VIII, 77 « Semper honore meo, semper celebrabere donis, Corniger Hesperidum *fluvius* regnator aquarum. »

Cf. Plaut. Pers. V. 1, 13 ; « *Oculus meus.* » Pœn. I. 2, 154 : *Meus molliculus caseus.* » Most. I. 3, 153 : « Euge, *oculus meus.* » V. 2, 14 : Sed tu istuc quid confugisti in aram hanc *inscitissimus* ? » Hor. A. P. 292 « Vos, o *Pompilius* sanguis. » Animadvertendum est pronomen, si appellativum in nominativo stet, semper formam *meus* servare.

(B) **Vocativus pro nominativo.** — Vice versa vocativus stat pro nominativo, licet adiectivum non ad vocativum, sed ad praedicatum propositionis referatur. A. II, 283: « Quibus, Hector, ab oris *Expectate* venis? » IX, 485 : « Heu! canibus *date* iaces. » X, 327 : « Tu quoque — Cydon, Dardania stratus dextra, securus amorum — *miserande* iaceres. » Ad locum Conington recte animadvertit vocativum pro nominativo communiter per attractionem stare, ubi vehemens animi affectus exprimendus sit. X, 811 : « Quo *moriture* ruis ? (= quo moriturus), XI, 856: Huc dirige gressum, Huc *periture* veni. » XII, 945 : « Tune hinc spoliis *indute* meorum Eripiare mihi ? »

Cf. Tibul. I, 7, 53 : « Sic venias *hodierne.* » Pers. III, 28 : « Stemmate quod Tusco ramum *millesime* ducis, Censoremve suum vel quod *trabeate* salutas ? » Horatius maxima eius generis licentia singulariter usus est S. II, 6, 20 : « Matutine pater, seu *Iane* libentius audis » = seu *Ianus* lib. appellaris.

Aliquando etiam uterque casus miscentur. Iuv. IV, 24 « Tu, *succinctus* patria quondam, *Crispine,* papyro. » Duriori etiam et audaciori licentia Stat. Theb. VII, 777 « Vade, non perpessure Creontis Imperia aut vetito *nudus iaciture* sepulcro. »

Nonnunquam et prosae orationis scriptores hanc nominativi in vocativum et vice versa mutationem usurpant. Liv. I, 24, 7 : « Audi, tu, *populus Albanus* »; VIII, 9, 4 « Agedum, *pontifex publicus* populi Romani, praei verba quibus me pro legionibus devoveam. » Plin. H. N. VII, 30 : « Salve, *primus* omnium parens patriae appellate, *primus* in toga triumphum linguaeque lauream *merite.* »

Has constructiones ad graecam syntaxim referendas esse cuique apparet. Cf. Soph. Phil. 760 : « ἰὼ δύστηνε σύ, δύστηνε δῆτα διὰ πόνων φανείς (pro δύστηνος = ὃς δύστηνος ἐφάνης.) Théocr. XVII, 56 : « Ὄλβιε κῶρε γένοιο! » (pro ὄλβιος).

Rarissimum est apud Latinos illud anacoluthiae genus, qui

nominativus absolutus possit vocari, cuius hoc unum exemplum apud Vergilium reperio G. I, 883 : « Iam *variae* pelagi *volucres* — certatim largos videas umeris infundere rores. » Post *variae volucres* sententiae series subito, nec ulla syntaxis habita ratione, abrumpitur ; quod apud Graecos, Thucididen inprimis, frequenter occurrit. Non omnes tamen consentiunt hic esse nominativum absolutum. Nam plurimi codd. cum Servio exhibent vulgarem lectionem *varias volucres*. Ex recentibus tamen Vergilii editoribus solus Conington hanc lectionem retinuit. Ladewigius sequentem infinitium *infundere* absolute positum habet pro *infundunt*. Quae quidem interpretatio et Benoisto placet. Eiusdem anacoluthiae exempla videre est Hirt. B. Alex. XXV : « Dum haec ita fierent, *rex Iuba*, cognitis Caesaris difficultatibus copiarumque paucitate, non est visum dari spatium convalescendi. » Liv. XXXVIII, 44, 5 : « *Signa aliaque ornamenta* quae quaererentur ex aedibus sacris sublata esse, de iis — placere ad collegium pontificum referri. » Ter. Hec. III, 1, 6 : « Nam *nos omnes*, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, omne quod est interea tempus priusquam id rescitum est, lucro est. » Plaut. Poen. III, 3, 46 : « *Tu*, si te dii amant, agere tuam rem occasio est. »

Macte.—Ad hanc vocativi rationem pertinet locutio *macte virtute esto, macte animo* etc., de qua hic pauca explananda videntur. Hic adiectivus, cum ad nominativum subiecti omissum *tu* sit referendus, *mactus* proprie, non *macte* ponendum esse videtur ; *mactus* enim idem valet ac laudatus, magni aestimatus. Verbum ex radice *mag* evolvitur ; cf. *mag-is*, *mag-nus*, et ideo significat, cum abl. conjunctum : esto *auctus* aliqua re, vel fias maior, maiorem laudem accipias, virtute = propter virtutem. Cf. Cic. Att. XII, 6, 2; Tusc. I, 17, 40; Hor. S. I, 2, 31; Liv. IV, 14, 7: « Macte virtute, C. Servili, esto. » (= tu, C. Servili, *mactus* virtute esto). Verg. A. IX, 641 : *Macte* nova virtute, puer, sic itur ad astra. »

In plurali numero nominativus non a vocativo distinguitur et ideo non apparet uter casus adhibeatur. Plin. II, 12, 9: « *Macti* ingenio este, caeli interpretes. » Apud posteriores poetas genetivus etiam pro ablativo per hellenismum usurpatur. Mart. XII, 6: « *Macte animi morumque tuorum.* » — Stat. Theb. II, 495. — Sil. XII, 357: « *virtutis avitae.* »

Ea vocativi forma *macte* per frequentiorem usum paulatim, ut ita dicam, diriguit et induravit, ita ut multi grammatici eam in adverbium fuisse transmutatam existiment, et inde causam trahant cur iam apud Livium VII, 36, 5 cum plurali numero coniuncta inveniatur: « *Macte* virtute *este.* » (pro *macti*); tum cum infinitivo, ubi accus. expectes II, 12, 14: « Iuberem (te) *macte* virtute *esse.* » Ea est Madvigii explicatio, qui putat *macte* adverbium esse, cuius ultima syllaba corripitur ut in *bene, male.*

Multo magis mihi Coningtonis arridet opinio, qui censet *macte* vocativum esse verbi *mactus* cum imperativo verbi substantivi *esse* constructum eodem sensu, quo nominativum. Ad antiquam vocativi cum imperativo constructionem referendus mihi videtur ille verbi *macte* usus, cuius constructionis ratio in eo residet quod iam supra diximus, vocativum scilicet nihil aliud esse quam nominativum sine ulla ad aliquam propositionis partem relatione. Hic vero per exceptionem cum imperativo coniungitur. Eadem est igitur amborum casuum mutua permutatio, quam in prioribus exemplis notavimus. Apud Homerum similis est et mira locutio, quae eadem ratione possit explanari Odyss. XXIV, 402: « οὖλε τε καὶ μάλα χαῖρε, Θεοὶ δὲ τοι ὄλβια δοῖεν. » Hic etiam mihi videtur, quod Conington in suo ad Aen. IX, 641 excursu probat, οὖλε esse vocativus, qui paulatim loco imperativi in colloquio usurpatus est.

Benoistus censet *macte* nominativum esse (Cf. Additions et corrections, Vol. III, p. 446). «Nous sommes certains, inquit, que dans l'ancien latin la forme *mactus* existait; on combat la forme *macti* au pluriel, et de fait les derniers éditeurs

(Weissenborn, Hertz) la rejettent dans Tite-Live VII, 36; mais von Jan la conserve, Pline H. N. II, 12, et aussi Vogel dans Quinte-Curce IV, 1, 18. Je ne puis donc m'empêcher de croire à l'emploi régulier et ordinaire du nominatif avec l'impératif. Seulement je crois que cet adjectif, employé surtout dans les formules, avait perdu la valeur de sa terminaison, comme les adjectifs déterminatifs *ille*, *ipse*, *iste*, etc... » Quae doctissimi viri opinio valde etiam probanda videtur. Ei ego in eo assentior quod eorum opinionem omnino reiciendam esse censeo, qui *macte* adverbium esse contendunt. Non enim magni interest, utrum *macte* vocativus an nominativus habeatur, cum, ut supra ex locis Vergilii allatis, vidimus, vocativus attributive loco nominativi nonnunquam usurpetur.

CAP. II

DE ACCUSATIVO.

Accusativi generalis usus ita definiri potest: Ea nomina quae ad vim praedicati et actionis accuratius constituendam et explendam adduntur, ponuntur in accusativo. Res igitur, vel persona, vel locus in quem actio dirigitur, quem quasi se explicando amplectitur, in accusativo ponitur.

Ex hac accusativi notione generali diversae rationes variaeque constructiones facilius intellegentur. Diversa enim accusativi genera secundum diversas rationes, quibus actio se explicat sunt constituenda.

§ 1. — Accusativus post verba transitiva.

In accusativo ponitur obiectum verborum transitivorum, id est, persona vel res quae actione continuo tangitur et afficitur. Accutivus respondet ad interrogationes *quem? quid?* In hac accusativi obiectum verborum transitivorum exprimentis constructione non mihi immorandum videtur. Longum enim et plane inutile esset omnes afferre locos, in quibus Vergilius nihil ab pedestris orationis usu discrepat.

Notandum tamen esse existimo hanc poetis et Vergilio

inprimis solitam constructionem, qua nomina in accusativo posita significationem per metonymiam accipiunt valde a significatione verbi remotam, et cum ea tantum intercedente generali communi notione coniunctam. Verba ita construuntur, quae motum vel localem vel temporalem indicant. *Agere*, A, III, 695 : « Alpheum fama est huc Elidis amnem Occultas *egisse vias* subter mare. » VI, 513 : « ut supremam *noctem egerimus*. » G. III, 377 : « Secura sub alta *Otia agunt* terra. » II, 527 : Ipse *dies agitat* festos — » A. X, 514 : Latumque per agmen Ardens *limitem agit* ferro. » Cf. Ovid. Met. II, 211 : « Tellus fissa *agit rimas*. » — *Ducere*, E. IX, 49 : *Duceret* apricis in collibus uva *colorem*. » A. V, 534 : « Nam te voluit rex magnus Olympi Talibus auspiciis exsortem *ducere honores* » ; X, 192 : « Canentem molli pluma *duxisse senectam*. » — *Trahere*, A. V, 85 : « Septem ingens *gyros*, septem *volumina traxit*. » — *Torquere* : A. V, 738 : « *Torquet* medios Nox humida *cursus*. » — *Implicare* : A. XII, 741 — orbes ; — *Texere*, A. V, 593 — fugas ; — *Carpere* : A. VI, 629 viam : Geo. IV, 311 aera : A. I, 388 auras vitales ; IV, 555 — somnos ; VII, 414 quietem, etc.

Eiusmodi locutiones in prosa oratione, apud Livium imprimis inveniuntur.

§. 2. — Accusativus post verba intransitiva.

Multa vero verba, proprie intransitiva, saepe transitiva significatione usurpantur.

1. Ea praesertim quae *affectum animi* indicant, vel huius affectus extensionem in medium productam, transitivi adhibentur, et cum accusativo rei, raro personae, construuntur. E quibus pauca tautum, ut vere transitiva, passivam formam

accipiunt. Multa vero Vergilius primus sic transitive usurpavit.

Ardere. E. II, 1: « Formosum pastor Corydon *ardebat Alexim*. (= ardenter amabat.) Cf. Hor. Od. IV, 9, 13: « Comptos *arsit* adulteri *crines*. » Hanc accusativi constructionem cum *ardeo* primus Vergilius usurpavit, et inter prosae orationis scriptores primus Gell. imitatus est VII, 8, 3: « *Pueros* — miris et humanis modis *arserunt*. »

Fremere. A. VII, 460: « *Arma* amens *fremit*. » (= fremens arma flagitat). XI, 453: « *fremit arma* iuventus. » *Fremere aliquid* ad poeticam linguam pertinet, iam apud Attium: *fremere* bellum.

Erubescere. A. II, 541: « Sed *iura fidemque* Supplicis *erubuit*. » Cf. Senec. Ep. 95, 8: « grammaticus non *erubescit soloecismum*, si sciens facit. » Curt. V. 5, 17: « dignum esse omni malo, qui *erubesceret fortuita*. » Prop. IV, 13, 20: « fratres *erubuisse deos*. »

Gemere. A. I, 221: « Nunc Amyci *casumque gemit* et crudelia secum *Fata* Lyci. » *Ingemere*, E. V, 27, 199: « *ingemuisse interitum*. » — G. III, 226: « Multa *gemens ignominiam plagasque* superbi Victoris. » Cf. Hor. Od. IV, 12, 5: « Nidum poni, *Ityn* flebiliter *gemens*. »

Horrere, horrescere, exhorrescere. G. III, 79: « Nec vanos *horret strepitus*. » X, 880: « Nec *mortem horremus*. » 408: Impacatos a tergo *horrebis Iberos*. » A. III, 394: « nec *horresce morsus* mensarum. » VII, 365: *Vultus* neve *exhorrescat* amicos. » Cf. Cic. Ac. II, 38, 121: « Divinum *numen horrere*. » Caes. B. G. I, 32, 4: « Sequani Ariovisti *crudelitatem horrebant*. » Liv. VIII, 35, 11: « Ni tristia *edicta exhorruisset*. »

Stupere. A. II, 31: « Pars *stupet* innuptae *donum* exitiale Minervae. »

Tremiscere. A. III, 648: « *Sonitumque* pedum *vocemque tremisco* »; XI, 103: « Nunc et Myrmidonum proceres *Phrygia arma tremiscunt*. » *Tremiscere* primus Vergilius transitive

usurpavit VII, 296: « *te* Stygii *tremuere* lacus, *te* ianitor Orci. » — *Tremere* cum accus. primum Augustaneae aetatis poetae construunt; tum et Livius XXII, 27, 3: *Virgas* ac *secures* dictatoris *tremere* atque horrere. »

Hac quidem accusativi cum verbis neutris audaci constructione, tanquam propria indolis nota, poetae classici praecipue distinguuntur.

Eam vero apud priorum aetatum scriptores raram esse non mirum. Tunc enim cum lingua latina originali novitate recens esset, vocabula nativam significationem, quae est simplex et angustioribus terminis circumscripta, retinebant. Tum vero vocabula, verba in primis, sese paulatim extenderunt finesque actionis suae prorogarunt ita, ut ea, quae, quod intransitiva essent, non cum obiecto actionis poterant coniungi, in transitivam significationem transirent obiectumque in accusativo reciperent. Ea verba quae v. g. corporis habitum vel motum exprimunt, quo quasi signo interior animi affectus manifestatur, natura sunt intransitiva, atque antiquis Latinis intransitive usupata fuerunt ita ut actionis obiectum nonnisi per praepositionem vel intercedente enuntiatione causali indicari posset: Corydon *ardebat* amore Alexis, vel cum videbat Alexim; *expalleo* cum video undas turgentes; *exhorresco* cum video vultus... Poetae vero, qui brevitati indulgent nervosque orationi student addere, verbum a primitiva significatione deflectunt et metaphorico sensu cum accusativo proxime construunt ita: « Formosum pastor Corydon *ardebat Alexim* » Ecl. II, 1: « *vultus* neve *exhorrescat* amicos » A. VII, 265.

Pauca eius constructionis exempla ex Plauto, Terentio, Catone proferri possunt[1]. Apud Vergilium vero, Horatium ceterosque aureae aetatis poetas frequentissima constructio usurpatur, et ad permulta verba refertur. Tum usus apud

(1) Cf. Draeger, Historische Syntax, II Theil, § 164.

posteriores, non solum poeticae, sed et prosae orationis scriptores invaluit.

2. Post quaedam alia verba, quae non affectum animi exprimunt, accusativus liberiori etiam constructione ponitur ; v. g. *dormire, vigilare* etc. Perpauca vero ex iis verbis passivam formam induere possunt, ubi accusativus obiecti fit nominativus, subiectum vero unde actio proficiscitur, in ablativo verbo postponitur. Id primum fecerunt Augustaneae aetatis poetae.

Bacchari, G. II, 487 : « Virginibus *bacchata* Lacaenis Taygeta. » A. III, 125 : « *Bacchatamque* iugis Naxon. Vergilius primus hoc verbum ita construit.

Vigilare, G. I, 313 : « Quae *vigilanda* viris. » *Vigilare alqd* = curare Verg. prim. usurpavit ; Ovidius imitatus est constructionem. Her. XII, 169 : « Noctes *vigilantur* amarae. Prop. IV, 14, 2 : « Nec veniat sine te nox *vigilanda* mihi » ; IV, 20, 22.

Litare, A. IV, 50 : « Sacrisque *litatis*. » *Litare* transitive Vergilius et Propertius primi usurpaverunt.

3. Tum verba intransitiva quae motum indicant, vel motus notionem continent, a poetis tantum, raro a prosae orationis scriptoribus, tamquam transitiva cum accusativo construuntur.

Currere. A, III, 191 : « Vastumque cava trabe *currimus* aequor. » V, 335 : « Di — quorum *aequorra curro*. » — *Decurrere*, G. II, 39: « Inceptum una *decurre laborem*. » Cf. Catul. 64, 6.

Ire, A. VI, 122: « *Itque reditque viam*. » G. III, 77: « primus et *ire viam*. »

Festinare. A. IV, 575: « *Festinare fugam*. » A. VI, 177: « *iussa* Sibyllae *festinant*. » A posterioribus prosaicis etiam cum acc. transitive construitur. Sall. Jug. 77 : « Ni *id festinaret* »; 81 : « *Id* modo *festinabat*. »

Navigare. A. I, 67: Gens inimica mihi Tyrrhenum *navigat aequor*. » Cf. Cic. de fin. II, 34, 112: « Cum Xerxes maria ambulavisset, *terram navigasset*. » Alia quidem lectio datur: mari, terra.

Natare per analogiam Vergilius cum acc. construit G. II, 260: Nocte *natat* caeca serus *freta*. »

Innare. A. VIII, 651 : Et *fluvium* vinclis *innaret* Clelia ruptis. » VI, 369 : *Flumina* tanta paras Stygiamque *innare paludem*. » G. III, 142 : « Carpere prata fuga *fluviosque innare* rapaces. » Solus Vergilius *innare* cum acc. construit. Solitam tamen constructionem cum dativo adhibet A. VIII. 93: « Scuta virum *fluvio* pictasque *innare* carinas » ; 691 : « *pelago* credas *innare* revulsas Cycladas. »

Cf. *navigare* cum acc. apud Ov. Met. XV, 49: « *Aequor navigat* Ionium. » Senec. Nat. Quaest. IV, 2, 21; « *Navigavi Atlanticum mare*. » Plin. H. N. VI, 26, 30: « *Euphraten navigantibus*. » Suet. Claud. 1 : « *Oceanum* septentrionalem *navigavit*. » Quintil. IX 3, 17 dicit Vergilianam constructionem « Tyrrhemum navigat aquor » ex graeco translatam esse.

Properare G. I, 260 : « Quae mox forent caelo *properanda* sereno. » IV, 470 : « *fulmina properant*. » Verbum in prosa oratione semper intransitivum. Sallustius solus illud transitive adhibet, poetas imitatus.

Plaudere, A. VI, 644 : « Pars pedibus *plaudunt choreas* et carmina dicunt. »

Pererrare, A. IV, 363 : « *totumque pererrat* luminibus tacitis. » (sc. Aenean). *Pererrare* poeticum, et posterioris aetatis.

Requiescere. E, VIII, 4. « Et mutata suos *requierunt* flumina *cursus* ». *Cursus* acc. a verbo *requierunt* pendens. Haec interpretatio non Ladewigio placet, qui vult *suos cursus* acc. limitativum esse ab *mutata* pendentem. Sensus erit : « les fleuves changèrent leurs cours pour venir vers les chanteurs,

puis s'arrêtèrent. » Benoistus, postquam hanc Ladewigii opinionem protulit, addit : « D'autres interprètes font de *requierunt* un verbe transitif par exception, en s'appuyant sur le vers 233 du poème intitulé *Ciris*, qui est une imitation probable de ce passage : « Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus. » Enfin, dans le Commentaire de Servius, est cité un vers de Calvus, qui me semble devoir faire pencher la balance en faveur de l'explication ancienne : « Sol quoque perpetuos meminit *requiescere cursus*. » Conington eamdem hanc interpretationem tuetur. « The traditional explanation of *requierunt* as active is however strongly supported by Prop. III, 15, 25 : « Iuppiter Alcmenae geminos *requieverat Arctos*, » and a line of Calvus' *Io*, quoted by Servius (not to mention Ciris 232.)

Vehi. A. I, 524 : « *Maria* omnia *vecti*. »

Ruere. G. I, 105 : « *Cumulosque ruit* male pinguis harenae. » A. I, 35 : « *Spumas* salis aere *ruebant*. » 84 : *totumque* (mare) a sedibus imis Una Eurusque Notusque *ruunt*. » IX, 515; G. II, 307.

4. Tunc notandus verborum usus sequentium :

Clamare. A. IV, 674 : « *Morientem* nomine *clamat*. » VII, 504 : Conclamat agrestes. » (= clamans convocat).

Iurare. A. VII, 351 : « *Maria aspera iuro* ; » et passim cf. XII, 197. VI, 324, etc.

Resonare. E. I, 5 : « Formosam *resonare* doces *Amaryllida* silvas. » E. II, 13 *resonare* intransitive accipitur : « Sole sub ardenti *resonant* arbusta cicadis. » Solitam verbi *resonare* constructionem poetica licentia Vergilius invertit : arbusta resonant cicadis = cicadae resonant arbusta. A. VII, 11 : « Lucos Circe resonat. » G. III, 338 : « Litoraque *alcyonem resonant*, *acalanthida* dumi. »

Insonare. A. VIII, 451 : « Verbera insonuit. »

Crepare — Increpare. A. IX, 502 : « Tuba terribilem

sonitum increpuit. » Cf. Hor. Od. II, 17, 26 : « Populus ter laetum *crepuit sonum.* »

Sonare. A. XII, 529 : « Antiqua avorum *sonantem nomina.* » Ecl. V, 64 : « Ipsae iam *carmina* rupes, Ipsa *sonant* arbusta. »

Sonare cum ea significatione activa primus hic Vergilius adhibuit, quem tunc Augustianae aetatis scriptores sunt imitati.

Spirare. G. III, 356 ; « Semper *spirantes frigora* Cauri. »

Tonare. A. V, 510 : « Terra centum *tonat* ore *deos.* » Hoc uno loco Vergilii verbum *tonandi* vi transitiva adhiberi videtur.

Ea constructio, cum obiectum in accusativo positum est nomen eiusdem stirpis atque originis atque verbum, vel cognatae significationis, a grammaticis scriptoribus figura *eiusdem etymi* vel *etymologica* vocatur, et in prosa etiam oratione usurpatur. Eius generis sunt Vergilianae locutiones : *ire viam* A. IV, 468 ; VI, 122 ; G. III, 77 ; — *ire iter* A. IV, 108 ; — *currere iter* V, 862 ; — *comitari iter* VI, 112 ; — *fugere vias* : XII, 751, Mille *fugit refugit*que *vias.*

Latini cum talia verba transitive cum acc. construunt, Graecos imitantur, apud quos idem fere usus reperitur. Nam post intransitiva verba etiam passiva accusativum ponunt eiusdem stirpis et originis, vel eiusdem significationis, quod *interius obiectum* Curtius appellat (Griechische Gram. § 400) ; id est, in actione ipsa iam residens. Sic apud Homerum : Ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἔμαχοντο νέεσσιν. — τῷ πείσεαι ὅς κεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. Quin hic accusativus non per ellipsim interpretandus sit nemo iam dubitabit. Omni verbo, etiam intransitivo, vis inest quaedam et notio actionis. Unde necessarium est ut ipsi verbo intransitivo obiectum patiens sit, quod cum in verbo ipso quasi lateat, verbale vel interius cum Curtio appellaverim. Accusativus vero qui verbo subiungitur

hanc verbalis obiecti notionem coercet et limitat. Si enim dico *vivo*, in verbo continetur obiectum *vita*, non quidem remotum, ut quidam putant, sed contra proximum et immanens. Quod si quaeratur qualis vita mea sit, respondeam, adiectivum addens quo praedicativa interioris obiecti notio diligentius definiatur : *Vivo vitam ignobilem*.

Ad hunc accusativi usum referenda est ea constructio quae *praegnans* vocatur A. III, 284 « Interea magnum sol *circumvolvitur annum*. » = Circumvolvendo se annum efficit. XII, 386 : « Alternos longa *nitentem* cuspide *gressus*. » Vide Benoisti adnot. ad locum. Cf. Val. flac. II, 93. Alternos aegro *cunctantem* poplite *gressus*. » X, 283 « *labant vestigia* prima.» V, 331 « *titubata vestigia*. Cf. Madvig, Lat. gram. § 237, c.

5. *Post verba cum praepositione composita*. Multa intransitiva verba, si cum praepositione componuntur, transitiva fiunt, atque ideo obiectum in acc. admittunt. Hic vero accusativus tanquam obiectum transitivorum verborum est habendus, quod ex eo elucet, quod pleraque illorum compositorum verborum passivam formam induunt.

A. Verba composita cum praep. accusativum regente.

Nil quidem mirum quod haec verba post se acc. habent, sive verba simplicia ipsa per se motum sive quietem exprimunt.

1° Acc. post verba composita motum indicantia non solum apud poetas, sed apud omnes omnium aetatum scriptores invenitur. Multa tamen sunt quae nonnisi a poeticis vel a posterioribus prosae orationis scriptoribus activa significatione usurpantur. Apud Vergilium haec notanda:

Composita cum *ad* :

Accedere. A. III, 293 « Celsam Buthroti *accedimus urbem*»; A. I, 201 : « Vos et Scyllaeam *rabiem* penitusque sonantes *Accestis scopulos* » ; III, 441 « Hic ubi delatus Cumaeam *ac-*

cesseris urbem divinosque *lacus* et *Averna* sonantia silvis » ; I, 307 « quas vento *accesserit oras* ». V, 813 « Tutus, quos optas, *portus accedet* Averni. » V, 732 « Infernas *accede domos* Ditis » ; G. II, 483 « Sin has ne possim naturae *accedere partes*. » Iam apud Sallust. *accedere* transitive cum acc. usurpatur, tum apud ceteros poetas et posteriores scriptores.

Adferri. A. VII, 217 : « Consilio *hanc* omnis — *urbem adferimur*. »

Adlabi. IX, 464 : « Nuntia Fama ruit matrisque *adlabitur aures* Euryali. » *Adlabi* ante Verg. semel tantum occurrit apud Liv., sed tamen sine ullo casu adiuncto ; cum dativo Verg. verbum coniungit A. III, 131. 569 ; cum acc. hic tantum.

Ascendere. A. I, 419 : « Iamque *ascendebant collem* qui plurimus urbi Imminet. IX, 37 : « *Ascendite muros*. » 505 : « *Ascendere muros* ; » XII, 144, « *ascendere cubile*. » Cf. tamen A. II, 192 : « *Ascendisset in urbem*. »

Advehi. A. VIII, 136 : « Dardanus — *advehitur Teucros*. » Cf. III, 108 : « Advectus est *ad* oras. »

Comp. cum *ante* :

Antevenire. G. III, 71 absolute usurpatur.

Composita cum *circum* :

A. VII, 474 : « *Circumsonat murum* armis. »

Circumstare. A. XI, 388 : « *Circumstant* undique *muros*. » G. IV, 361 ; « *Circumstetit* unda *illum*. »

Circumvectari. G. III. 285 : « Circumvectamur singula. »

Circumvolare. A. III, 233 : « Turba sonans *praedam* pedibus *circumvolat* uncis. » A. VI, 867 : « Sed nox atra *caput* tristi *circumvolat* umbra. »

Composita cum *in* :

Incessere : A XII, 596 « Regina ut tectis venientem prospicit hostem, *Incessi muros*. »

Incidere : A IX, 721 « Bellatorque *animos* deus incidit. » Lectio *animos* non certa : optimi codd. habent *animo*.

Ingredi : G. II, 175 « tibi *res* antiquae laudis et artis *In-*

gredior. » IV, 469 « Et caligantem nigra formidine *lucum Ingressus.* » A XI, 904 « pater Aeneas *saltus ingressus* apertos. »

Ingruere : A XI, 899 « *Ingruere* infensos *hostes.* »

Innatare : G. II, 451 « Non et torrentem *undam* levis *innatat* alnus, Missa Pado. »

Innare per analogiam cum *navigare* transitive adhibetur. G. III, 142 ; A. VI, 134, 369, A. VIII, 651. Cf. supra p. 42.

Invadere : A. II, 265 « *Invadunt urbem* somno vinoque sepultam » ; III, 382 « Principio *Italiam* — Vicinosque, ignare, paras *invadere portus.* » VI, 260 « Tuque *invade viam.* » 361 « Ni gens crudelis madida cum veste *gravatum Prensantem*que uncis manibus capita aspera montis Ferro *invasisset.* » 623 « Hic *thalamum invasit* natae. » IX, 186 « Aut *pugnam* aut *aliquid* iamdudum *invadere* magnum. » 799 « Bis tum medios *invaserat hostes* » ; X, 310 « Primus *turmas invasit* agrestes. »

Invehi : A. VIII, 714 « At Caesar triplici *invectus* Romana triumpho *Moenia.* »

Intrare : A. III, 219 « Huc ubi delati *portus intravimus* » ; 501 « Si quando *Thybrim* vicinaque Thybridis *arva Intraro.* » IV, 359 « ipse deum — vidi *Intrantem muros.* » VI, 59 « Tot *maria intravi.* » VII, 201 « *intrastis ripas* fluminis. » VIII, 390 « Notusque *medullas Intravit* calor.

Composita cum *praeter* :

Praeterlabi : A. III, 478 « Et tamen *hanc* pelago *praeterlabare* necesse est. » VI, 875 « Tiberine, cum *tumulum praeterlabere* recentem. »

Praetervehi : A. III, 688 « Vivo *praetervehor ostia* saxo Pantagiae Megarosque *sinus Thapsumque* iacentem. »

Composita cum *sub* :

Subire : A. I, 400 « pleno *subit ostia* velo. » A. V, 281 ; III, 83 « tecta subimus. » VI, 13 « Iam *subeunt* Triviae lucos atque aurea tecta. » V, 864 « Iamque adeo *scopulos* Sirenum advecta *subibat.* » VIII, 363 « Haec, inquit, limina victor

Alcides subiit » ; et passim. *Subire* in prosa oratione tantum cum acc., aut cum praep. ad, in, sub et acc. construitur. Apud Livium invenitur *subire alicui*, sed *subire* = *succedere*. Poetae vero Augustaneae aetatis verbum hoc etiam cum dativo construunt. Verg. A. III, 292 « *portuque* subimus « (portu = portui) ; VII, 161 « *muro*que subibant iuvenes. » Cf. V, 346 ; VI, 222, 812.

Composita cum *subter* :

Subterlabi : G. II, 157 « Fluminaque antiquos *subterlabentia muros*. » E, X, 4 « Cum *fluctus subterlabere* Sicanos. »

Composita cum *super* :

Supervolitare : E. VI, 81 « Infelix *sua tecta supervolitaverit* alis. »

2° Post verba quietis cum praep. accusativum regente composita, accusativus ad praepositionem, quae verbo vim transitivam communicat, est referendus.

Composita cum *ad* :

Adsidere: A. XI, 304 « Cum *muros adsidet* hostis. » *Adsidere* cum acc. iam apud Sallust. invenitur.

Composita cum *in* :

Inhiare : G. II, 463 « Nec varios *inhiant* pulchra testudine *postes*, Inclusasque auro *vestes* Ephyreiaque *aera*. » Veterem hic Verg. constructionem verbi observat cum acc. Cicero vero atque scriptores posteriores, Ciceronem secuti, *inhiare* cum dat. coniungunt, quae constructio etiam apud Verg. ipsum A. IV, 64 occurrit.

Insidere : A. II, 616 « Iam summas *arces* Tritonia Pallas *insedit*. » X, 59 « Non satius *cineres* patriae *insedisse* supremos Atque *solum* quo Troia fuit ? »

Insistere : G. III, 164 « *viam*que *insiste* domandi. » A. VI, 563 « Nulli fas casto sceleratum *insistere limen*. »

Instare : A. VIII, 434 « Parte alia Marti *currum*que *rotas*que volucres *Instabant*. » XI, 573 « Utque pedum primis infans *vestigia* plantis *Institerat*. »

Insultare : A. VII, 580 « *Nemora* avia matres *Insultant* thiasis. » *Insultare* cum acc. raro construitur. Cum dat. vel *in* et acc. construi solet. Vergilius ipse hanc alteram constructionem admittit. G. IV, 11 : « insultent haedi *floribus* »; G. III, 117 : *insultare solo* equitem. A. VIII, 570. XII, 339. Attamen cum acc. simplici iam apud Ter. Eun. 285, et Lucil. —Tum apud Sallust. semel, bis apud Tac. Occurrit ultimum, credo, apud Ammianum.

Composita cum *super* :

Supereminere : A. I, 501 « gradiensque *deas supereminet* omnes. » VI, 857 « Marcellus — Ingreditur victorque *viros supereminet* omnes. » X, 765 « umero *supereminet undas*. »

Superstare : A. X, 540 « Quem congressus agit campo *lapsum*que *superstans* Immolat. » Hoc verbum a Vergilii tempore primum sic usurpatum, attamen rarissima constructio. Transitiva cum *super* composita nulla apud Ciceronem Caesaremque occurrunt.

Cf. Ovid. Trist. I, 2, 49 « Qui venit hic fluctus, *fluctus supereminet* omnes. » Her. X, 123 « *Ossa superstabunt* volucres inhumata marinae ? » Stat. Th. II, 713. Plaut. Asin. 54 *Instare viam*. Pœn. IV, 2, 96 tantum *eum instat* exitii.

B. Sed ed verba cum praepositionibus ablat. regentibus composita apud Vergilium cum acc. obiecti, pleraque tamen motum indicantia, construuntur.

Ab :

Abducere : A. III, 601 « quascumque me *abducite terras*. »

Avertere : A. IV, 106 « Quo regnum Italiae Libycus *averteret oras*. »

Cum :

Conscendere : VIII, 97 « Sol medium caeli *conscenderat* igneus *orbem*. » X, 155 « tum libera fati *classem conscendit* iussis gens Lydia divum. » I, 180 « *Conscendit* Aeneas *scopulum*. » IV, 646 « (Dido) *conscendit* furibunda *rogos*. » I,

381 « Bis denis Phrygium *conscendi* navibus *aequor*. » XII, 736 « Cum prima in praelia iunctos *Conscendebat equos*. »

De :

Decurrere : G. II, 39 « Tuque ades inceptumque una *decurre laborem*. »

Devenire : A. I, 365 « Devenere locos... »

Ex :

Erumpere : I, 580 « Portis Achates et Aeneas iamdudum *erumpere nubem* Ardebant. » Tunc primum cum acc. occurrit. In prosa oratione similis constructio semel a Tac. admittitur Ann. I, 60 « Elapsi vincula. »

Evadere : A. IV, 685 « Sic fata *gradus evaserat* altos. » G. IV, 485 « Iamque pedem referens *casus evaserat* omnes. » A. V, 869 « Da *flammam evadere* classi. » III, 282 « iuvat *evasisse* tot *urbes* Argolicas. » IX, 560 « Nostrasne *evadere*, demens, Sperasti te posse *manus* ? » 385 « Iamque imprudens *evaserat hostes* atque *locos*. » etc... *Evadere aliquid* = effugere Verg. primus usurpavit. Ex prosaicis Livius primus Verg. imitatus est. XXI, 32, 13 *evadere angustias* ; tum et Tac. Ann. I, 51 *evadere silvas*. Cf. A. IX, 99 ubi *evadere* cum abl. construitur ; XI, 702 *evadere pugnae* nova est Vergilii constructio.

Exire : A. V, 438 : « Corpore *tela* modo atque oculis vigilantibus *exit*. » XI, 750 « *Vim* viribus *exit*. » Hic Verg. *exire* cum acc. construit Lucretium imitatus et Terentium Hec. 378 *exire limen* ; postea inter prosae orationis scriptores Tacitus eadem constructione usus est Ann. VI, 49 « donec minor filius *lubricum* inventae *exiret*. » G. II, 368 « Inde ubi iam validis amplexae stirpibus *ulmos exierint* » incertum utrum *ulmos* ab *amplexae* an ab *exierint* pendeat.

Prae :

Praecedere : A. IX, 47 « *Praecesserat agmen* Antevolans. Cf. Liv. XXXVIII, 41, 12 « *praecedenti* ad exploranda loca *agmen*.

Praelabi : G. III, 180 « Aut Alphea rotis, *praelabi flumina* Pisae. » Cf. Lucan. VII, 76 *praelabi moenia*.

Praevertere : A. VII, 807 « Cursuque pedum *praevertere ventos*. »

Praenatare : Letheumque *domos* qui *praenatat* amnem.

Pro:

Prorumpere : A. III, 572 « Aetna — atram *prorumpit* ad aethera *nubem*. » Verg. verbum *prorumpere* primus transitive usurpat. Cf. Ter. Andr. 562 *sese emergere* malis ; audaciorem constructionem Catul. imitatur 64, 13 *emersere vultus*.

Multa quidem ex iis verbis quae cum dativo vel cum acc. et praep. *in*, *ad*, vel cum abl. cum vel sine praep. construi solent, etiam in prosa, sicut et apud poetas, cum acc. transitive usurpantur ; sed multo plura, ut ex locis supra allatis patet, eo modo verba poetae construunt, sive quia verbis in prosa usitatis sunt similia et pari significatione, sive quod transitiva constructio magis ad vividam et rapidam descriptionem accommodatur. Hanc poetarum singularem audaciam praeclara Gossrau commentatione illustrat ad A. II, 31 : « Amant enim poetae, inquit, vocabula fortiora et rariora, ea etiam quae res magis pingunt et oculis subiciunt. Itaque Latini, cum nova verba formandi ea in lingua non magna esset facultas, verba primum aliud significantia in aliam significationem traxerunt, et verba, quae secundum vim primariam nullius erant rectionis, casus regere iusserunt. Qua ex ratione in animi motibus designandis ea etiam verba, quae signant externum corporis habitum, quo is qui animo movetur est, substituunt verbo proprio. Quare, ut magni motus signum est tremor et horror, magnae admirationis stupor, magni desiderii suspicium et quae sunt alia ; inde tremisco aliquem, horreo cum acc. etc. » Inde fit ut regant etiam infinitivum, qui species quaedam nominis est: A. II, 12 « Quamquam animus *meminisse* horret. » Cf. G. III, 408 « Nunquam

custodibus illis nocturnum stabulis *furem horrebis*. » Vergilius vero neutrum *horrere* etiam intransitive et absolute usurpat, A. prooemium : At nunc *horrentia* Martis arma (= horrorem inicientia).

§ 3. — Accusativus adverbialis.

Ad hanc accusativi constructionem referendus est hellenismus ille, apud poetas, Lucretium inprimis et Vergilium Horatiumque frequentissimus, quo adiectiva vel pronomina neutrius generis in accusativo adverbiorum partes graeco more agunt et qualitatem actionis definiunt. Notum est illud Homeri Il. VI δακρύοεν γελάσασα. II, 270 ἡδὺ γέλασσαν. Hanc graecorum structuram poetae latini et posterioris aevi scriptores usurparunt, quam iam apud Lucretium Catullumque invenimus. Neque tantum ea adiectivi adverbialis adiunctione qualis sit res vel actio, sed etiam quid per ipsam efficiatur, exprimunt. Saepius enim illud adiectivum non mere adverbiale est, sed pro effectu externo qui vi intensiva praedicati producitur, habendum est. Illud A. VIII, 489 « Cives *infanda* furentem circumsistunt » sic explicari potest : furebat ita ut infandus videretur, vel infandas res se facturum minitaret. *Infanda* est effectus furoris.

A. II, 690 « Aspice nos hoc tantum. » *Hoc* accusativus est, qui actionis extensionem indicat : « Jette un regard favorable sur nous *en ce qui concerne ce présage*; » graece : τοῦτο μόνον ἡμᾶς ἐπίβλεψον. *Hoc*, ait Ladewigius ad locum, locum tenet substantivi eiusdem stirpis (Cf. Liv. VII, 30, 20 *adnuite — nutum numenque* vestrum). G. III, 149 « *acerba* sonans. » A. VIII, 248 « atque *insueta* rudentem. » IX, 334 « qui *plurima* luserat. » 630 « Intonuit *laevum*. » 631 » Effugit *horrendum* stridens adducta sagitta. » 655 « *Cetera* parce, puer. »

730 « Arma *horrendum* sonuere. » 793 « *Acerba* tuens. » X, 273 « Cometae sanguinei *lugubre* rubent. » 726 « Gaudet hians *immane*. » XI, 815 « *extrema* gementem. » XII, 398 « *Acerba* fremens. » 535 « *immane* frementi. » Cf. G. III, 229. A. X, 84 « Nos *aliquid* Rutulos iuvimus. » III, 56 « *quid* non mortalia pectora cogis? »

Ille accusativi adverbialis usus apud veteres rarissimus, apud Ciceronem iam frequentior, tum apud poetas frequentissimus, e quibus posterioris aetatis prosa oratio multa mutuata est.

Cf. Plaut. Mil. Gl. 1148 « *Id* nos ad te, si quid velles, venimus. » — Most. 733 « Nunc hoc, *quod* ad te noster me misit senex. » Amph. 909 « Et *id* huc revorti, ut me purgarem tibi. » Apud Lucretium frequentissima constructio ; praecipue adamatum Lucretio est *mutua*, II, 76 « inter se mortales *mutua* vivunt. » IV, 325 « e laevo sit *mutua* dexter. » V, 1063 « irritata canum cum primum *immane* Molossum Mollia ricta fremunt. » Catul. 51, 5 « *Dulce* ridentem. » Hor. Od. I, 22, 23 « *Dulce* ridentem Lalagen amabo, *Dulce* loquentem. » S. I, 3, 26 « Cur in amicorum vitiis tam cernis *acutum* ? » Epist. I, 7, 27 « reddes *dulce* loqui. » Od. III, 27, 67 « *perfidum* ridens Venus. »....

Nec solum adiectiva, sed et substantiva sic adverbialiter in accusat., non solum a poetis, sed et a prosaicis scriptoribus construuntur. v. g. partem, vicem, etc.

Plaut. Mil. 642 « Et *meam partem* itidem tacere quom alienast oratio. » Lucr. III, 64 « haec volnera vitae Non *minumam partem* mortis formidine aluntur. » Frequens apud Lucretium adverbialis locutio *quod genus*, et idem valet atque *ita, eodem modo, exempli gratia*. Liv. V. 14, 5 « *magnam partem* honoratissimum quemque. « VIII, 35, 1 « Stupentes tribunos et *suam vicem* magis anxios. »

§ 4. — Accusativus graecus, post verba passiva et intransitiva, adiectiva et participia.

Passivum verbi genus in latina lingua *primitus* erat reciprocum, id est, actionem significabat in subiectum proxime reflexam, et graecae linguae medio generi respondebat. Liquet enim nobis rem diligentius perpendentibus et ad formarum originem remeantibus, activum primum genus formatum fuisse ; tum reflexivum, ad activam formam *amo* accedente pronomine reflexivo *se* : *amo-se* = *amor*. Reflexiva igitur forma prior effecta est, ex activa et pronomine concreta. Paulatim ad verum passivum verbi genus ex reflexivo transitum est, id est, in eam consuetudinem venerunt homines, ut aliquam personam, licet plane otiosam alteriusque actioni obnoxiam, subiectum tamen verbi manere posse concederent. Tunc ea fuit differentia, qua duo subiecta, logicum et grammaticum inter se discrepant. Tunc et grammaticis licuit illam reflexivam formam, qua transitio ab activo in passivum fuit, mediam et deponentem, quanquam passivam anteierat, vocare. Passivum igitur genus rectius medio-passivum vocari possit. Illa quidem actio, quae a subiecto profecta in idem reflectitur, in subiecto residere et quiescere potest, nec ulterius transire, ut βουλεύομαι, me consulo ; vel ulterius progredi atque obiectum interius, id est, ad subiectum pertinens vel cum ipso qualibet relatione coniunctum, in eius finibus contentum, vel etiam ab eo remotum, attingere.

Passiva igitur latina verba, quae suum obiectum in accusativo habent, graecae linguae medio generi sunt similia, quae transitiva simul et reflexa obiectum in accusativo positum habent, v. g. ἐγκαλύψασθαι τὴν κεφαλήν, *velari caput* = sibi caput, vel suum caput velare. Deponentibus etiam similia dici possunt, quae cum obiecto in accusativo construuntur : *aversor*

aliquem, aliquid = averto me ab aliquo, ergo illum despicio, contemno. Deponentia enim et reflexam significationem habent et formam passivam, quam solam, activa deposita, servaverunt.

Cum vero verbum reflexum in latina lingua mature, ut supra diximus, in passivum immutatum sit, raro Latini, si ad graecum usum respicitur, passiva verba cum accusativo coniunxerunt. Plerumque participium perfectum ita construitur. Cuius rei causa in eo quaerenda videtur, quod per participium quamdam energicam acquirit oratio brevitatem, quae poetis semper exoptata fuit. Multo rarior passivi cum acc. usus, cuius perpauca exempla apud scriptores qui ante classicam aetatem fuerunt, inveniuntur. Constructio tum primum frequens apud Augustaneae aetatis poetas occurrit, Vergilium in primis, Ovid. et Horat., qui sibi miro studio graeca exemplaria proposuerunt imitanda. Ex quibus poetis usus non solum in Vergilii imitatores, Statium et Silium Italicum, sed etiam in historicos scriptores Livium, Tacitum, Curtium aliosque translatus est, qui suam orationem poetico et graeco colore infundere studuerunt. Classici vero scriptores prosae orationis, Cicero, Caesar, Sallustius, et alii quoque argenteae aetatis, Valerius Maximus, Quintilianus, Plinius, Nepos etc. hanc scribendi licentiam non admiserunt.

Passiva verba, quae apud Vergilium tanquam reflexa, suum obiectum in accusativo habent, ita distribui possunt :

1° Reflexa forma indicat notionem *induendi* vel *exuendi* : Obiectum verbi est vestis sive quid simile, quo subiectum induitur vel exuitur.

Indui : A. VII, 640 « *loricam* induitur » = induit sibi *loricam* ; (passiva autem significatio ablativum requirit : lorica induitur). II, 275 « Redit *exuvias indutus* Achillis » (passive: exuviis indutus). VII, 666 sqq, « *tegumen* leonis cum dentibus albis *Indutus* capiti » (gallice translatum : « après qu'il

se fut couvert la tête d'une peau de lion. ») XI, 487 « Rutilum *thoraca indutus.* » II, 393 « *induitur galeam* et *insigne* clipei. » VII, 639 « clipeumque auroque trilicem *Loricam induitur.* »

Cf. Ovid. Met. I, 270: « Nuntia Iunonis varios *induta colores.* » IV, 483: « Fluido cruore rubentem Induitur *pallam.* » et passim. Saepissime etiam apud Stat. Th. II, 96. VI, 733. Cf. et Liv. XXVII, 37, 12 Virgines longam *indutae vestem.* »

Cingi, incingi, accingi: A. II, 510: « Inutile *ferrum cingitur.* » *Cingor* tamen cum abl., ut in prosa solet, construitur A. II, 520: « Quae mens tam dira impulit his *cingi telis* ? » IV, 493 « Magicas *accingier artes.* »

Circumdari: A. IV, 136 « *Chlamydem* circumdata ; » XII, 415 « Venus *faciem circumdata* nimbo. »

Implecti: G. IV, 482 « *implexae* crimibus *angues* — Eumenides. »

2° Reflexa verbi forma actionem significat, quam subiectum in se ipsum vel potius in suo corpore perficit. Obiectum verbi est igitur corpus vel pars corporis. Huc pertinent praecipue verba quae *coronari, velari, redimiri*, etc. significant.

Redimiri: A. III, 81: « Vittis et sacra *redimitus tempora* lauro. » G. I, 349: « redimitus *tempora* quercu. »

Velari: G. III, 383: « Gens effrena virum — pecudum fulvis *velatur corpora* saetis. A. III, 405 « Purpureo *velare comas* adopertus amictu. » Cf. Ov. Met. XV, 357 « levibus *velari corpara* plumis. » V, 110 « velatus *tempora* vitta. »

Vinciri, evinciri: E. VII, 32 « *Suras evincta* cothurno. » A, V, 269 « Puniceis ibant *evincti tempora* taeniis ; » 774 « Ipse *caput* tonsae foliis *evinctus* olivae. » A. XII, 120 « Verbena *tempora vincti.* » VII, 286 « evincti *tempora* ramis. *Revinciri*: « *Manus* iuvenem — post terga *revinctum.* »

Necti, innecti, subnecti: A. IV, 216 « Maeonia *mentum* mitra *crinemque* madentem *Subnexus.* » V, 309 « *caput nectentur* oliva. » VIII, 660 « *innectuntur colla* auro ; » VI, 284

« Vipereum *crinem* vittis *innexa*. » V, 511 « quis (vinculis) *innexa pedem* pendebat. » VII, 669 « *umeros innexus* amictu Herculeo. »

Induci : A. VIII, 457 « tunicaque inducitur *artus* » (= sibi vel sua membra tunica inducit).

Ornari : E. VI, 68 « floribus atque apio *crines ornatus*. » G. III, 21 « *Ornatus caput* foliis olivae. »

Circumdari : A. XII, 416 « Venus obscuro *faciem circumdata* nimbo. » XI, 596 « nigro *circumdata* turbine *corpus*. »

Insterni : A. II, 271 « latos *umeros* subiectaque *colla* veste *insternor*. » (= adoperio mihi umeros collaque.)

Protegi, detegi : A. VIII, 661 « scutis *protecti corpora* longis. » X, 133 « Dardanius *caput*, ecce, puer *detectus* honestum. »

Exseri : XI, 649 « exsultat unum *exserta latus* pugnae » (= sibi unum latus ad pugnam nudaverat.)

Perfundi : A. XII, 65 « lacrimis *perfusa genas*. » V, 135 « nudatosque *umeros* oleo *perfusa* nitescit iuventus. »

Percuti, transfodi : A. IV, 589 « Terque quaterque manu *pectus percussa* decorum. » VII, 503 « Silvia prima soror palmis *percussa lacertos*. » XI, 877 « *percussae pectora* matres clamorem ad sidera caeli tollunt. » (Graece στύφη κοψάμεναι). XX, 543 « *pectora* duro *transfossi* ligno. » *Tundi* : A. I, 481 « Iliades, *tunsae pectora* palmis. »

Inflari : E, VI, 15 « Silenum — *inflatum* hesterno *venas* Iaccho » (= qui s'était gonflé les veines.)

Fulciri : E. VI, 53 « ille *latus* niveum molli *fultus* hyacintho. » (= appuyant des flancs d'albâtre sur la molle hyacinthe.)

Mutari : A. IV, 658 « *faciem mutatus* et *ora* Cupido. »

Assimulari : XII, 224 « *formam assimulata* Camerti. »

Cf. Hor. Epist. II, 1, 110 « fronde *comas vincti*. » Od. I, 2, 31 « nube candentes *umeros amictus* Augur Apollo » (cf. Iliad. V, 186 νεφέλῃ ἐϊλυμένος ὤμους.) A. P. 277 : « *Peruncti* fae-

cibus *ora*» (Iliad. XIV, 175 χρὸα καλὸν ἀλειψαμένη.) Tac. Ann. II, 17 « *oblitus faciem* cruore. Tibul. I, 1, 70 « Iam veniet tenebris Mors *adoperta caput*. » I, 2, 3 « Neu quisquam multo *perfusum tempora* Baccho, Excitet. » Prop. III, 13, 11 « Matrona incedit *census induta* nepotum. » ibid. 24, 14 « *Vinctus* eram versas in mea terga *manus*. » Luc. I, 13 « *percul-sae corda* tua vi. » V, 1223 « divum *percussi membra* timore. »

3° Reflexa forma indicat actionem quam subiectum perficit in obiecto ad ipsum pertinenti vel cum ipso stricto quodam nexu cohaerenti. Plerumque participium perfecti ita construitur.

Expleri : A. I, 713 « *expleri mentem* nequit ardescitque tuendo. » (= elle ne peut se remplir l'âme πληροῦσθαι θυμόν.)

Saturari : A. V, 608 « Iuno multa movens necdum antiquum *saturata dolorem*. » (= qui n'avait pas encore assouvi sa haine.)

Moveri : A. VI, 470 « nec magis incepto *vultum* sermone *movetur*. »

Figi, *defigi*, *deici* : A. XI. 507 « Turnus ad haec *oculos* horrenda in virgine *fixus*. » VI, 156 « moesto *defixus lumina* vultu Ingreditur.» XI, 480 « *oculos deiecta* decoros. » Cf. Ov. A. II, 4, 11 « *deiecta oculos* in te. » Stat. Theb. III, 367 « deiectus vultum. » IV, 561 Dido *vultum demissa*. VI, 156 « Aeneas maesto *defixus lumina* vultu. »

Converti : A. XI, 121 « Conversi oculos. » XII, 172 « Illi ad surgentem *conversi lumina solem*. » Cf. Tac. Ann. I, 50 « animum vultumque conversi. »

Circumdari : A. II, 218 sqq. « collo squamea *circum terga dati* » (= circumdati = après qu'ils eurent enroulé leurs corps écailleux autour de son cou.)

Committi : A, III, 427 « pistrix Delphinum *caudas* utero *commissa* luporum. » (= qui a joint sa queue de dauphin à un corps de loup.)

Fundi, effundi, A. IV, 509 «*crines effusa* sacerdos.» G. IV, 337 « *Cesariem effusae nitidam* per candida collo ». IX, 838 « *fusus* propexam in pectore *barbam.* »

Solvi : A. III, 65 « Iliades *crinem* de more *solutae* » XI, 36 id.

Scindi, abscindi : A. XI, 478 « scissa comam. » (Cf. graece : κειραμένη κόμην.) IV, 590 « flaventes *abscissa comas.* »

Imprimi : A. IV, 659 « *os impressa* toro. »

Exui: A. IV, 518 « unum *exuta pedem* vinclis.» (= calces).

Accendi, cremari : A. VII, 74 « Lavinia virgo visa *omnem ornatum* flamma — *cremari,* regalesque *accensa comas, accensa coronam.* »

Adsuesci : VII, 806 « non illa colo — femineas *adsueta manus.* »

Subnecti : IV, 216 « Maeonia *mentum* mitra *crinemque* madentem *subnexus.* »

Subiungi : A. X, 157 puppis rostro *subiuncta leones.*

Hic tamen subiectum *puppis* potius passivum vel patiens habendum est, ita ut « puppis subiuncta leones » idem sit quod « puppis, cui aliquis leones subiunxit. »

Laniari : XII, 606 « Lavinia *crines* — et *genas laniata.* »

4° Reflexa forma actionem significat, quam subiectum quidem non ipse perficit, sed per alium perficiendam curat vel perfici patitur, ea tamen ratione ut actio ad subiecti voluntatem vel eius iussu peragatur atque ita in subiectum reflectatur. Eadem significatone medium Graecis usurpatur, κειρᾶσθαι κεφαλήν proprie significat : sibi caput tondere, vel tondendum curare.

Arrigi : A. I, 579 « His *animum arrecti* dictis » (= s'étant laissé ranimer le cœur par ces paroles). Cf. A. XII, 251 « arrexere animos Itali » (= fuerunt arrecti animos, scilicet augurio quod viderant.)

Concuti, percuti : A. V, 869 « casuque *animum concussus*

amici » (= se laissant attendrir, toucher le cœur). G. IV, 357 « *percussa* nova formidine *mentem.* » A. XII, 468 « hoc *concussa* metu *mentem* Iuturna virago. Cf. Hor. S. II, 3,295 « quone malo *mentem concussa* ? »

Premi : III, 47 « *mentem* formidine *pressus* » (= se laissant abattre, accabler le cœur.)

Turbari : A. VIII, 29, « *turbatus pectora* bello. »

Tabefieri : IV, 395 « *animum tabefactus* amore » Cf. Ov. A. A. III, 545 « *ingenium* placida *mollimur* ab arte. »

Diduci : A. V, 720 « in curas *animum diducitur* omnes. »

Vinci : A, IX, 337 « multoque iacebat *membra* deo *victus.* »

Suffundi : A, I, 228 « lacrimis *oculos suffusa.* » Cf. Ov. Met. I, 484 « *suffunditur ora* rubore. »

Perfundi, interfundi, suffici (ad speciem vultus indicandam) A. II, 221 « *perfusus* sanie *vittas.* » IV, 644 « maculis trementes *interfusa genas.* » II, 210 « ardentesque *oculos suffecti* sanguine et igni. »

Pingi, signari, incoqui : G. IV, 13 « *picti* squalentia *terga* lacerti. » VII, 796 « *picti scuta* Labici. » G. III, 307 « Vellera — Tyrios *incocta rubores* » (= des toisons qui s'étaient laissé teindre dans la pourpre tyrienne.) A. IV, 15 « Et manibus Procne *pectus signata* lacertis. » IX, 581 « *pictus* acu *tunicas* et barbara *tegmina* crurum. »

Traici : A. II, 273 « perque pedes *traiectus lora* tumentes » (= qui s'était laissé passer des courroies à travers les pieds).

Inscribi : E. III, 106 « dic, quibus in terris *inscripti nomina* regum Nascantur flores » (= des fleurs sur lesquelles on a inscrit le nom des rois. Cf. Théocr. X, 29 ἀ γραπτὰ ὑάκινθος.)

Pasci : E. I, 54 « saepes Hyblaeis apibus *florem depasta* salicti. » (= qui laisse manger ses fleurs par les abeilles de l'Hybla.)

Nutriri : G. II, 425 « Hoc pinguem et placitam paci *nutritor olivam.* » (= *élève pour toi* le fertile olivier.)

Averti : G. III, 499 « Victor equus *fontisque avertitur.* »

(= il éloigne, repousse loin de lui, dédaigne les fontaines). Graece ἀποστρέφεται τὸ ὕδωρ. *Averti* eadem ratione usurpatur cum acc. qua deponens verbum *aversari — rem.*

Pasci, depasci, quae tantum cum abl. secundum classicorum usum construitur, vel absolute, apud Verg. cum acc., sicut *edere*, coniunctum occurrit. G. III, 314 « *Pascuntur* vero *silvas* et summa Lycaei Horrentesque *rubas* et amantes ardua *dumos*. » Haec constructio solum apud Vergilium invenitur, et quidem hoc loco, et insuper semel G. IV, 181 « *pascuntur* et *arbuta* passim Et glaucas *salices casiam*que *crocum*que rubentem etc. »

Nam A. II, 181 « coluber mala *gramina pastus* » non huc pertinet, sed ad eumdem accusativi usum atque A. V, 608 « necdum antiquum *saturata dolorem*. »

Tremefactus : II, 629 « Et *tremefacta comam* concusso vertice nutat. »

5°. Verba intransitiva, quae passivam vel medialem significationem habent, eadem ratione construuntur cum accusativo apud Vergilium ceterasque poetas. Actio verbi in corpus vel in corporis aliquam partem cadit :

Nigrare : A. V, 97 « *nigrantes terga* iuvencos. » VI, 243, id.

Tremere : G. III, 84 « *tremit artus*. »

Tumere : A. II, 381 « Attollentem iras et caerula *colla tumentem*. »

Flavere : A. X, 324 « *flaventem* prima lanugine *malas*. »

Inhorrere : A. X, 711 « Aper *inhorruit armos*. »

Fulgere : A. X. 869 (Mezentius) aere *caput fulgens*. »

Cf. Lucr. I, 318, Signa ahena *manus dextras* ostendunt *attenuari* Saepe salutantum tactu. » II, 734 « Neve alium quemvis quae sunt *imbuta colorem*. » III, 489 « *tremit artus*.»

Hor. Epist. I, 1, 93 « *Curatus* inaequali tonsore *capillos*. » S. I, 1, 5 « Miles ait multo iam *fractus membra* labore. »

Od. IV, 11, 27 « Pegasus terrenum *equitem gravatus Bellerophontem.* » Ibid. 5 « Est hederae vis multa qua *crines religata* fulges. » Epist. II, 3, 202 « qui *purgor bilem.* »

Tibul. I, 1, 70 « Iam veniet tenebris Mors *adoperta caput.* » 1, 3, 91 « Longos *turbata capillos.* » VI, 18 « Laxo *pectus aperta* sinu. » I, 6, 49 : « Statque *latus praefixa* veru, stat *saucia pectus.* » III, 4, 32 : « Ut virgo — *inficitur* tenera ore rubente *genas.* »

Propert. III, 12, 28 « Alternas *scissa* Charybdis *aquas.* » 17, 29 « Candida laxatis *oneratus colla* corymbis »

Quanquam haec loquendi formula omnino a prosae orationis norma abhorret, eaque boni scriptores abstinent, legitur tamen apud Ciceronem pro Flac. 32, 80 « voluisti magnum agri *modum censeri* » ; et apud Liv. XXII, 12, 5 « cura *animum incensus.* » XXI, 7, 10 « ictus femur. » XXIX, 18, 1 « infixa animos » XXVII, 32, 12 (iam citatus est locus). Sed Livius, etsi poetas, Vergilium imprimis, libenter imitatur, hanc tamen constructionem poetis maxime propriam et peculiarem, raro usurpavit. Tac. Ann. XIII, 35 « *praeriguisse manus.* Apul. Met. V, 17 « *Colla* sanguinantem. » V, 31 « stomachata *biles.* »

Non solum cum participiis, sed et cum adiectivis paulo audaciori constructione accus. graecus a Vergilio adhibetur. Exempla haec proferam : G. II, 130 « *faciem simillima* lauro. » III, 58 « Bos *faciem* tauro *propior.* » IV 181 « Apes *crura* thymo *plenae.* » A. I, 310 « *Nuda genu* nodoque *sinus collecta* fluentes. » 589 « *Os umerosque* deo *similis.* » III, 594 « At *cetera Graius.* » VI, 495 « Deiphobum *lacerum* crudeliter *ora.* » VII, 60 « laurus *sacra comam.* » VIII 425 « *Nudus membra* Pyraemon. » IX, 595 « *tumidus praecordia.* » 677 « cristis *capita* alta *corusci.* » XI, 489 « *tempora nudus* adhuc. » XII, 5 « *Saucius* ille gravi venantum vulnere *pectus.* » XII, 650 « Saucius *ora* Saces. » IX, 649 « Ibat Apollo *omnia* longaevo *similis, vocem*que *colorem-*

que « Et *crines albos* et saeva sonoribus *arma*. » XII, 25 « Nec *genus indecores*. » V, 285 « *Cressa genus* Pholoe » ; VIII, 114 « *Qui genus* ? » graece : τίνες ἐστε γένος ;

Paulo tamen audaciori interpretatione utuntur qui E. II, 3 « Tantum inter densas, *umbrosa cacumina*, fagos » commata tollunt et volunt *umbrosa cacumina* accusitivum graecum esse a *densas* pendentem, ut in « os umerosque deo similis. » Sed ne res ita sit iam ipsa caesura impedit.

Haec accusativi limitativi post adiectiva constructio apud graecos frequentissima, primum apud Latinos aetate Augusti apparet, et quidem in poetica primum lingua, a Livio vero etiam in prosam orationem inducitur.

Cf. Hor. Od. III, 10, 18 « Nec Mauris *animum mitior* anguibus. » Ovid. Met. VII, 183 « *nuda pedem*. » Tac. Germ. 17 « feminae *nudae brachia et lacertos*. » Hist. IV, 81 « *manum aeger*.

§ 5.— Accusativus localis post verba motum indicantia.

Post verba motum indicantia, cum interrogatio fit per *quo?* nomina urbium et parvarum insularum quae unam tantum urbem (plerumque eodem nomine designatam) continent, sicut et *rus, domus*, in accusativo reguntur, et locum indicant ad quem tendit actio eundi vel motus dirigitur. « Regulus *Carthaginem* rediit. » « *Capuam* flectit iter Annibal. » Liv. XXXVI, 42, « *Delum* traiecit. » — Si vero locus tantum urbi proximus significatur, tum praepositio *ad* urbis et insulae nomini adicitur. Cic. Cat. mai. 4 « Adolescentulus miles *ad Capuam* profectus sum. » (= in castra apud Capuam posita). — Si nomen appellativum *urbs, oppidum* ante nomen urbis ponitur, tunc praep. adiungitur, Sall. Jug. 102 « Consul pervenit *in oppidum Cirtam*. » Quod fieri etiam solet, cum

nomen proprium appellativum sequitur Cic. Rep. 9, 19 : « Demaratus Corinthius contulit se Tarquinios, *in urbem* Etruriae florentem. »

Nomina regionum et maiorum insularum in accusativo cum *in* construuntur.

Apud poetas vero haec ipsa regionum nomina locum exprimentia quo perveniendum est, in accusativo sine praep. ponuntur. Hoc discrepat a prosa poetica oratio. Apud Vergilium saepissime praep. omittitur. Cuius quidem liberioris loquendi usus ratio facile intellegetur, si paululum veram et primariam accusativi notionem et praepositionum naturam originemque perpenderimus.

Praepositiones enim, si ad vocabuli significationem respicitur, proprie sunt verba quae ante nomen ponuntur. Sic eas Ruddimannus definit I parte, p. 115 : « Praepositio est pars orationis invariabilis unius substantivi ad alterum relationem significans. » Alii vero, propius primariae praepositionum notioni accedentes, ita definiunt : « Vox invariabilis quae vel appositione vel compositione aliis vocibus praeponitur, ad *motum vel quietum* significandum.

Per eas enim exprimuntur locorum connexiones et vulgo indicatur in qua inter se relatione stent res physicae. Sunt grammatici qui dicant illas natura sua *casus regere*, mosque praevaluit eas ordinandi prout hunc vel illum casum regere dicuntur. Quantum a vero haec doctrina abhorreat facile dignosci potest. Nam in omnibus linguis quae casus habent et verborum flexiones, casus per se ipsum relationem exprimit quae praepositio indicare posset. In linguis vero quae multimodos habent casus, multae locorum relationes per casus satis clare exprimuntur, nulla particula praeposita. Sanscritica lingua, v. g., octo casus habet, quorum unus et alter relationem localem indicat. Cf. quae infra de locativo et dativo directionis disseruntur. Cf. etiam Bopp, Grammatica sanscriticae linguae, § 118, sqq. Egger, *Notions de grammaire*

comparée, chap. X. Neque mihi errare videor si coniectavero rem ita in latina et in graeca lingua principio se habuisse. Sed postea numerus, decus, scribendi usus multaeque aliae causae nominum exitus mutilaverunt, sicut et verborum. Unde factum est ut praepositiones, quarum significatio casuum exitu principio includebatur, nominibus praeponi solerent, ut clarior sermo fieret. Eadem causa fuit cur in ea linguae latinae aetate, quae barbara vocatur, pronominum nominativus verbo praeponeretur ad illas personae notiones definiendas quae antea per solas verbi flexiones satis enuntiabantur.

Casus autem, per quem motus directio exprimebatur, locativus appellabatur. Postquam vero praepositiones praeter casus relationes strictius expresserunt, locativi usus paulatim abolevit et forma, et eius tantum reliquiae perstiterunt, quas videbimus : *Romae*, *caelo*, *domi*, *Carthagini*, etc. Hae locativi formae postea propter similitudinem pro dativis vel ablativis sunt habitae; et cum motus ad locum non per dativum aut ablativum exprimi posset, accusativus nunc cum praepositione, nunc sine praepositione ad localem relationem directionis exprimendam accommodatus fuit, paulatim admissa distinctione qua urbium nomina sola sine praep. in accusativo ponerentur.

Antiquioris igitur aetatis morem sequuntur Vergilius ceterique poetae, cum quaelibet nomina sine praep. post verba eundi in accusativo construunt.

Haec apud Vergilium exempla digessi :

A. I, 2 « *Italiam* Lavinaque venit *litora*. » Ita Homerus ἥκε πόλιν. 201 « Vos et Scyllaeam *rabiem* penitusque sonantes *Accestis scopulos*. » Cf. 307 « Explorare — quas vento *accesserit oras*. » 365 « *Devenere locos* ubi nunc ingentia cernes Moenia. » Hic tamen accus. usus ad accusat. cum verbis intransitivis referendus. Sed eadem est ratio constructionis. II, 743 « *Tumulum* antiquae Cereris *sedem*que sacratam *Venimus*. » I, 246 « Timavus *it mare* proruptum et pelago premit

arva. » Num vero hic *mare prorupt.* pro accusativo directionis, omissa praep., an potius pro appositione ad *fons Timavi* (= tanquam mare pror.) habendum sit, grammatici certant. Hanc interpretationem Benoistus defendit, altera vero explicatio Wagnero, Gossravio aliisque probatur et contra Ladewigium defenditur, qui appositionem esse contendit. (Cf. adnot. ad locum.) Non nostrum est componere litem.

I, 388 « Quisquis es *Tyriam* qui *adveneris urbem.* » 415 « Ipsa *Paphum* sublimis *abit* (Venus). » 512 « Ater quos aequore turbo Dispulerat penitusque *alias avexerat oras.* » 524 « Ventis *maria omnia vecti.* » Verg. hic primum *vehi* cum acc. obiectivo construit, quem imitatus est Val. Flacc. V, 670 « Ibimus indecores frustraque tot *aequora vectae.* » 553 « Si datur *Italiam tendere.* » 781 « *terram Hesperiam venies.* » III, 154 « Quod tibi *delato Ortygiam.* » — 254 « *ibitis Italiam.* » 293 « et Celsam Buthroti *accedimus urbem.* » 440 « fines *Italos* mittere. » 507 (post substantivum verbale :) « Unde *iter Italiam.* » 60 « Quascumque *abducite terras.* » IV, 106 « quo regnum Italiae Libycas *averteret oras.* » 165 « *Speluncam* Dido dux et Troianus *eamdem Deveniunt ;* VI, 638 « *Devenere locos* laetos et amoena *vireta.* 696 : « Tua me — imago — *haec limina tendere* adegit. » VII, 436 : classes *invectas* Thybridis *undam.* » IX, 100 : « Dardanium ducem *Lavinia vexerit arva.* » 600 : « Quae dementia vos *Italiam adegit* ? » 793 : « Patrias *remeabo* inglorius *urbes.* » G. III, 293 : « *Castaliam* molli *devertitur* orbita clivo. » E. I, 66 : « At nos hinc alii sitientes *ibimus Afros*, Pars *Scythiam* et rapidum cretae *veniemus Oaxem* et penitus toto divisos orbe *Britannos.* » *Oxi* est alia forma verbi *Oxus* : et forsan hic legendum est *ad Oxum*, quae coniectura eo firmari videtur, quod nomina fluminum verbis motum indicantibus alias semper cum praep. a Vergilio coniunguntur.

Cf. Plaut. Poen. III, 6, 4 : « Utinam hinc *abierit malam crucem.* » (?) Curc. II, 3, 60 « Rogat quid veniat Cariam » ;

Capt. III, 4, 41 : « Hinc hodie abiit *Alidem* (= Aelidem). Most. II, 2, 68 : « Non me *Acheruntem recipere* Orcus voluit. » Poen. IV, 2, 9 : « Quodvis genus ibi hominum videas, quasi *Acheruntem* veneris. » (1).

Ovid. Met. III, 462 : « Verba refers *aures* non *pervenientia nostras*. » Catul. 64, 37 : *Pharsaliam coeunt*. » (Phars. nomen est regionis.) 62, 32 : « Quam talia *Cretam* funera *portarentur*. » 40, 5 : « Ut *perveniamus ora* vulgi. »

In prosa classica duo tantum loci inveniuntur in quibus nomen regionis ad analogiam cum urbium nominibus in acc. sine praep. ponitur : Caes. B. C. III, 106, 1 « coniectans eum *Aegyptum iter habere*. » Cic. Nat. Deor. III, 22, 56 « *Aegyptum profugisse*. »

Sallustius vero iam saepius poetas imitatur fragm. 4, 21 « *propinquantes* iam *amnem Tartanium*. » Cf. Tac. Ann. XII, 13 : « *Campos propinquabant*. Apul. Met. XI, 16 « *ripam* maris *proximamus*. » Tac. Ann. VI, 44 « *propinqua* Seleuciae *adventabat*. » Gell. II, 29, 7 « fac *amicos eas* et roges. » Praep. omititur ante nomen appellativum, Liv. III, 1, 5 « *Antium, propinquam*, opportunam et maritinam *urbem*, coloniam *deduci* posse.

Weissenborn notat Livium praecipue nomina regionum mari finitimarum ita construere. XXXI, 43, 5 « D equites *Aegyptum vexit*. » XLV, 10, 2 « *navigare Aegyptum*. Cf. XI, 8 id. XXVII, 31, 6 « L. Aemilium Scaurum — *Hellespontum misit*. » XXXIII, 4, id. X, 37, 1 « *Etruriam* traducto exercitu. » XLII, 44, 6 « *Peloponnesum* proficiscuntur. » — Tum pluralis nominis *domus* II, 7, 1 « ambo exercitus suas quisque *abirent domos*. III, 5, 15 « Cohortes — *remissae domos*. » XXVII, 51, 7, XXXV, 4 etc.

(1) Cf. Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum latinorum I, 195.

§ 6. — Accusativus temporis.

De accusativo temporis nil peculiare apud Vergilium inveni. Accusativus indicat extensionem actionis temporalem, id est, per quantum tempus duret. Idem est apud Vergilium eius acc. usus atque apud Ciceronem, Caesarem ceterosque scriptores. Cf. A. VI, 127 « *Noctes* atque *dies* patet atri ianua Ditis. » E. I, 79 « Hic tamen *hanc* mecum poteras requiescere *noctem*. A. I, 683 « Tu faciem illius *noctem* non amplius *unam* Falle dolo. » Cic. Cat. mai. V, 14 « Annos septuaginta vixit Ennius. »

Ex hoc acc. usu tempus designante eae ortae sunt adverbiales locutiones, de qua supra (cf. § 3 Accusativus adverbialis, p. 50).

§ 7. — Accusativus pro nominativo per attractionem.

Aliquando fit ut attractionis quodam genere nomen, quod subiectum primariae enuntiationis esse deberet in nominativo, in accusativum transeat cum pronomine relativo, obiecto secundariae enuntiationis. Nomen autem quod sic in accusativum trahitur, vel anteire vel sequi pronomen potest. Praecipuum huius attractionis exemplum apud Vergilium invenimus A. I, 573 « *Urbem quam* statuo vestra est. » Ad quem locum haec Forbigerus adnotat : « per attractionem inversam quam dicunt non nisi apud poetas hic ibi obviam. »

Eo inversa vocatur attractio quod non iam, ut solet fieri, relativum casum nominis ad quod pertinet accipit, sed contra nomen relativi ad ipsum pertinentis casum sumit. Hoc vero

attractionis genus praecipue in vulgari et quotidiana lingua usurpatur per neglegentiam, unde fit ut tam frequenter apud comicos occurrat. Tunc praesertim adhibetur, cum nomen ad relativi casum attractum in nominativo vel accusativo stare deberet. Apud Graecos est usu frequentissima nec ab optimis prosae orationis scriptoribus aliena. Cf. Lys. XIX, 47 τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ, οὐ πλείονος ἀξία ἐστί. Cf. Kühner : Ausfürliche Grammatik der griech. Sprach II, § 455, 4, 5. Cf. Sen. Herc. Oet. 410 « *Hunc quem* per urbes ire praeclarum vides, levis est. » Petron. c. 134 « *hunc adolescentem quem* vides malo astro natus est. »

Vera autem et solita attractio est qua nomen quod in accusativo vel in dativo tanquam obiectum verbi poni deberet, in nominativo per relativi attractionem ponitur. A. I, 72 « Quarum quae forma pulcherrima *Deiopea*, Conubio iungam stabili propriamque dicabo. » A. III, 28 « Nam *quae* prima solo ruptis radicibus *arbos* Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae. » II, 142 « Per si *qua* est quae restet adhuc mortatibus aegris *Intemerata fides*. »

In ea attractione multa sermonis elegantia residet.

§ 8. — Accusativus per appositionem constructus.

Hic liceat sententiam Coningtonis de quodam accusativo per appositionem constructo proferre, ad A. VI, 223 « pars ingenti subiere feretro, *Triste ministerium*. » Censet vir doctissimus *triste ministerium* non esse, ut Heynio placet, interiectionem, sed cognatae significationis vel, ut Draegerus vocat, verbalem accusativum actioni verbi per appositionem subiunctum. Addit hanc constructionem multo rariorem apud Latinos esse quam apud Graecos. Forbigerus vero, Wagnerus,

Ladewigius, quibus et Benoistus adsentitur, haec verba appositionem esse toti enuntiationi censent, ita ut *triste ministerium* idem sit quod « *quod est triste min.* » atque ideo in nominativo construatur.

Geo. III, 41 « Interea Dryadum silvas saltusque sequamur Intactos, *tua*, Mecaenas, *haud mollia iussa.* » A. VIII, 487 « Componens manibusque manus atque oribus ora, *Tormenti genus.* » 783 : Cui, belli *insigne superbum*, Tempora navali fulget rostrata corona. » IX, 53 « Et iaculum attorquens amittit in auras, *Principium pugnae.* » X, 310 « Aeneas primus turmas invasit agrestes, *Omen pugnae*, stravitque Latinos. » XI, 62 « Mittit mille viros, qui supremum comitentur honorem — *solacia* luctus *Exigua* ingentis. » 384 « Proinde tona eloquio, *solitum tibi.* »

Cf. Prop. III, 11, 1 « *Magnum iter*, ad doctas proficisci cogor Athenas. »

In omnibus his quos enumeravi Vergilii locis, verba *triste ministerium*, *mollia iussa*, *tormenti genus* etc. appositionem esse manifestum est. Sed cum substantiva ubique sint neutrius generis, non discerni potest utrum in acc. an in nominat. ponantur. Valde quidem mihi placet Coningtonis interpretatio, quae mihi eo magis esse vera videtur, quod graeca syntaxi confirmatur. Illud tantum Euripidis tritum afferre sufficiat Or. 1105 « Ἑλένην κτάνωμεν, Μενέλεῳ λυπὴν πικράν. »

§ 9. — Accusativus exclamationis.

Venio denique ad accusativum exclamationis, de quo nihil Vergilius a prosae orationis usu deflectit: Exclamationem enim per nominativum, vocativum vel accusativum exprimit, quae est et prosariorum scriptorum syntaxis. Accusativus tamen paulo frequentior videtur. G. II, 457 « O *fortunatos* nimium

agricolas, » A. VII, 293 « Heu ! *stirpem invisam!* » I, 94 « O terque quaterque *beati*. »

Cf. Catul. XV, 17 « Ah ! te miserum malique fati ! » Tibul. III, 3, 26 « O mihi *felicem* terque quaterque *diem !* »

CAP. III.

DE GENETIVO

« Genetivus, ait Holtzius [1] is est casus nominis qui aliam notionem nominalem, nulla alia voce intercedente, sibi adiungit, et ita quidem ut recepiens eam intra fines suos, aut significans id quod in illa notione inest, ambitum eius definiat et coerceat. »

Ea definitione non excluditur genetivus cum verbis coniunctus ; nam in verbis inest notio nominalis ex qua genetivus pendet ; *memini* = memor sum vel memoriam teneo, et notioni nominali *memor* in verbo inclusae adhaeret genetivus, qui eam definit et coercet.

Non iam igitur genetivus ad obiectivam, sed ad attributivam enuntiationis relationem pertinet ; substantivi enim notionem, quoad qualitatem vel substantiam nominis, propius definit, atque ita attributivi adiectivi vel appositionis partes gerit, ita ut duo nominales notiones in unam coalescant.

Ex hac generali notione omnia genetivi genera procedunt, quorum non omnia exempla colligam. Eum enim solum genetivi usum attingere mihi proposui, quem cum poetarum, tum Vergilii proprium repperi.

(1) Holtze, Syntaxis priscorum Script. I, p. 318.

§ 1. — Genetivus partitivus sive totius

Per genetivum res ad aliam tanquam ad totum cuius pars est, refertur. Genetivus ille ex substantivis, pronominibus, adiectivis et adverbiis pendet, et genetivus *totius*, vel *generis*, vel *partitivus* vocatur.

A) Primo genetivus ab nomine quantitatem exprimente pendet, sive nomen sit substantivum, sive neutrum pronominis vel adiectivi numeralis substantive usurpatum. Quod in prosa oratione ubique fieri solet.

A. I, 601 « *Quidquid* ubique est *gentis Dardaniae.* » IX, 274 « *Campi quod* rex habet ipse Latinus. » E. VI, 26 « Huic *aliud mercedis* erit. » Cf. Ennius : ecquid erit *praemii ?* » *quid* hoc *clamoris*, *quid* hoc hic *tumulti* est ? » Plaut. Aul. I, 2, 39 « *quid rerum* geram ? » Bacch. I, 2, 9 « *quid* tibi *commercist?* » Lucr. II, 16 « Degitur *hoc aevi* quodcumque est. » V, 320 « *Omne* terrarum superest arvi. » Cic. Fin, II, 17 « *nihil* est *negotii.* » Verr. III, 52 « nihil *reliqui* fecerat. » Liv. II, 35 « *quidquid* erat *patrum.* » XXI, 52 « *quod* intra Trebiam Padumque *agri* est. » Catul. VI, 14 « Ni tu *quid* facias *ineptiarum.* » Hor. Od. II, 1, 23 « *Cuncta terrarum.* »

Animadvertendum est genetivum partitivum post *aliquid*, *quid* etc. saepe iniuriose usurpari, quod ex Ter. Hecyr. IV, 4, 21 manifestum est : « Sed *quid mulieris* uxorem habes ? » quod gallice vulgari locutione dici possit : « Un bout de femme ; quelle espèce de femme ? » ; recte vero germanice translatum : « Was für ein Stück von Weib ? » Ter. Andr. 745 « *quid* illi *hominum* litigant ? » = quot homines. Nullum huius partititivi genetivi exemplum apud Vergilium reperio.

B) Neutrius generis adiectiva pro substantivis usurpata

cum genetivo ad unam vel plures rei partes designandas raro apud scriptores prioris aetatis et classicos prosae orationis scriptores invenitur. Excipias tamen *dimidium* et superlativa pluralis numeri. Cic. Quint. fr. II, 4 « *dimidium pecuniae.* » Fam. I, 51 « *Summa pectoris.* » Apud poetas vero et posterioris aetatis scriptores ea genetivi post adiectiva neutralia constructio frequentissima occurrit.

A. I, 310 « Classem in *convexo nemorum* locavit. » 384 « Ipse ignotus, egens, *Libyae deserta* peragro. » 422 « *strata viarum.* » II, 332 « Obsedere alii telis *angusta viarum.* » 725 « ferimur per *opaca locorum.* » IV, 451 « taedet *caeli convexa* tueri. » V, 180 « *Summa* petit *scopuli.* » 695 « *ardua terrarum* et *campi.* » VI, 140 « Sed non ante datur *telluris operta* subire. » III, 232 « Rursum ex *diverso caeli.* » (= ex diversa parte caeli.) 633 « per *opaca viarum.* » XI, 513 « *ardua montis* per *deserta.* » 882 « inter *tuta domorum.* » G. I, 488 « sub *obscurum noctis.* » II. 184 « *Omnia* sint paribus numeris dimensa *viarum.* » IV, 321 « Quae *gurgitis huius Ima* tenes. »

Cf. Lucr. I, 86 « *prima virorum.* » 315 « *strata*que iam volgi pedibus detrita *viarum.* » 340 « *Sublimaque caeli.* » VI, 96 « *caerula caeli.* » 659 « *ardua* dum metuunt, amittunt *vera viaï.* » IV, 612 « dum transit *clausa domorum.* »

Horatius hanc structuram modice admisit, et in *Sermonibus* scilicet solum cum genetivo *rerum. Sermones* enim, ut ipse confirmat, oratione podestri sunt scripta nec illa figuras accipiunt quae proprie ad poeticam orationem pertinent. Od. II, 1, 33 « *Cuncta terrarum.* » 13, 27 « *dura navis, dura belli.* » IV, 12, 19 « *amara*que *Curarum.* S. II, 2, 25 « Corruptus *vanis rerum.* » II, 8, 83 « ridetur *fictis rerum.* » A. P. 49 « *Abdita rerum.* » Od. IV, 5, 76 « *acuta belli.* »

Ut supra diximus, is genetivi usus usque ad Ciceronem solis fere poetis usurpatur. Pauca eius sunt apud Ciceronem ipsum exempla : Tim. 6 « *extrema mundi.* » Fam. X, 19,

2 « *belli extrema.* » I, 19, 16 « *Summa pectoris.* » II, 16, 69 « cuiusque *artis difficillima.* » Att. IV, 3, 3 « in *interiora aedium* Sullae. » Apud Caesarem unus locus B. C. III, 105 « in *occultis* ac *reconditis templi.* » Sallust. Iug. 37, 4 « in praerupti *montis extremo.* » 2, 24 « *laeva moenium.* »

Livius vero et posterioris aetatis scriptores, Tacitus inprimis, eam constructionem fuse imitati sunt. Aliqua tantum ex Livio exempla proferre sufficiat: IV, 18. 6, 23 « *Medium campi.* » XXXI, 35 « *medium maris.* » V, 37 « *immensum loci.* » VII, 8 « quia *serum* erat *diei.* » XXII, 17 « *ima cornuum.* » XXX, 12, *opportuna moenium* » etc. Apud Tacitum etiam frequentior et audacior huius constructionis usus : Hist. II, 14 « *obscurum noctis.* » III, 5 « *asperrimo hiemis.* I, 53 « in *prominenti litoris.* » VI, 49 « *lubricum iuventae.* » Ann. III, 59 « *diverso terrarum.* » Agr. 37 « *subita belli.* » Hist. II, 2 « *laeva maris.* » Ann. I, 61 « *occulta saltuum.* » IV, 41 « *tacita suspicionum*, etc. Cf. Draeger, *Hist. Synt.* I, p. 419.

Post Tacitum rarior fit usus.

c) Raro etiam apud scriptores prosae orationis adiectivum, quod neque quantitatem exprimit neque neutrius generis est, substantivi loco cum genetivo partitivo construitur. Constat vero poetas et posteriorum temporum scriptores prosaicos etiam masculinum et femininum adiectivorum genus cum genetivo partitivo usurpare. Haec apud Vergilium exempla invenio :

G. II, 10 « Namque aliae, *nullis hominum* cogentibus, ipsae — sponte veniunt. » *Nullis hom. cog.* omnino rarum et insolitum pro *nullo cogente* ; cf. G. I, 128 « *nullo poscente.* » G. II, 26 « *Silvarumque aliae* pressas propaginis arcus Exspectant. » A. I, 511 « Teucrorumque *alios.* » VIII, 105 « *Iuvenum primi.* »

Cf. Hor. Od. I, 10, 19 « Superi deorum. » S. II, 2, 99 « *festi dierum.* » Od. IV, 6, 31 « Virginum primae. »

Liv. XXX, 9, 1 « *expeditis militum.* » XXVI, 5, 3 « cum *delectis peditum.* » Tac. A. III. 39 « *leves cohortium.* » Plin. VIII, 73 *lanarum nigrae* nullum colorem bibunt. » XI, 111 « *canum degeneres* sub alvum (caudas) reflectunt. » Curt. IV, 2, 5 « *Captivae feminarum.* »

D) Notandus est denique genetivi partitivi usus, Graecis valde familiaris et omnino Homericus, quo non modo superlativo, sed etiam positivo in singulari genetivus partitivus subicitur. A. IV, 576 « Sequimur te, *sancte deorum.* » Ennium Verg. imitatus est Ann. I, 166 « *dia dearum.* I, fr. 46 « Respondit Iuno Saturnia, *sancta dearum* ; » Graece apud Homerum : ἀριδείκετος ἀνδρῶν — δῖα θεάων. — δῖα γυναικῶν.

Sed hic genetivus paululum a solita positivi significatione discrepat. Nam genet. partitivus singulas totius partes designare solet, quae a ceteris discernuntur. Hic vero non ille deus singulariter a loquente spectatur et a ceteris discernitur; sed « *sancte deorum* » idem omnino valet atque « sancte deus, » quadam tamen laudationis notione adiuncta ad superlativi notionem accedente.

Plane autem laudativus apud Vergilium est genetivi usus post superlativum, ubi alius casus, superlativo appositus, posset adhiberi. A. VIII, 154 « fortissime *Teucrum.* » XI, 513 « *Summe deum* Apollo. » Quod quidem plus valet quam « *Summe deus.* » Neque tamen vult poeta dicere Apollinem maximum ex diis esse, sed ipsum magnum, summum esse. « *Summe deum*, adnotat recte Servius, ex affectu colentis dicitur. »

Vergilius libentissime etiam vim superlativi auget addito genetivo substantivi generalis et abstracti *rerum.* Haec vero locutio, apud Tacitum tritissima, saepe propter solam sermonis elegantiam et concinnitatem adhibetur. G. II, 534 « Roma facta est *pulcherrima rerum.* VII, 602 « Roma, *maxima rerum.* Cf. Ov. Met. VIII, 49 « Si quae te genuit, talis, *pul-*

cherrime rerum. » (=« pulchritudine prae ceteris omnibus insignis. ») Hor. S. I, 9, 4 « *dulcissime rerum.* » I, 5, 88 *vilissima rerum* hic aqua. »

§ 2. — Genetivus qualitatis.

Id quod natura alicui personae vel rei datum est apparet in genetivo, qui tunc dicitur genetivus qualitatis et in quo notio adiectiva continetur.

Ille vero genetivus qualitatis, vel attributivus, nomini totum exprimenti, vel ut grammatici vocant, appellativo, non autem ipsis propriis nominibus omisso generali nomine *vir*, *homo*, *urbs*, ete. subiungi solet.

Huius tamen constructionis genetivi qualitatis post nomina propria exempla etiam in prosa oratione invenies : Cic. Brut. 83 « Charisius *multarum orationum.* » Liv. XXII, 60 « T. Manlius Torquatus *priscae ac nimis durae severitatis.* » Tac. Ann. IV, 29 « *Lentulus senectutis extremae.* »

Cum vero Vergilius prosae orationis mori congruenter genetivum qualitatis construat, exempla colligere supervacaneum.

G. II, 174 « Tibi res *antiquae laudis et artis* Ingredior. » A. I, 329 « An *nympharum sanguinis* una. » Hic origo et genus pro qualitate habetur. Item et V, 711 « Dardanius *divinae stirpis* Acestes. » VI, 778 « *Assaraci* quem *sanguinis* Ilia mater educet. » VI, 249 « Ipse *atri velleris* agnam Ense ferit Aeneas. » VIII, 48 « Ascanius *clari* condet *cognominis* Albam. »

Ceteri poetae, et prosae etiam orationis scriptores, maiori licentia quam Vergilius usi sunt in genetivo qualitatis construendo. Non solum enim nomini proprio, omisso appellativo, nomen abstractum, sed et nomen concretum iungunt, neque

tantum ad qualitatem immanentem, sed etiam ad fugitivum statum exprimendum. Hor. Od. I, 36, 13 « Neu *multi* Damalis *meri* Bassum Threicia vincat amystide. (= que Damalis défie Bassus, l'intrépide buveur). Ovid. Met. XIV, 252 « *Nimiique* Elpenora *vini*. » (= qui avait trop bu). Cf. Cic. Fam. IX, 26: « Non *multi cibi* hospitem accipies, (sed) *multi ioci*. » — Nota hunc Livii singularem locum I, 59, 8 « Ibi oratio habita nequaquam *eius pectoris ingeniique*. » (= « Brutus fit un discours qui démentait le caractère qu'il avait simulé jusque là. »)

In eo discrepat genetivus ab ablativo qualitatis, quod ille, qui ad genetivum possessionis reduci potest, potius qualitatem vel proprietatem exprimit, quae quasi ipsam personam vel rem constituit et in ea implicatur, ita ut ea res vel persona, si ea qualitate careret, non iam esset id quod est ; ablativus vero, qui ad abl. comitatus propius accedit, qualitatem designat, quam ille qui loquitur rei vel personae ipsius occulis obversatae tanquam aliquid exterum vel fortuitum fugitivumque attribuit. Genetivus ergo eas exprimit qualitates quae ad ipsam rei vel personae naturam, abl. vero eas quae ad eius speciem pertinent. Saepe tamen uterque casus nullo significationis discrimine adhibetur.

§ 3. — Genetivus appositivus et epexegeticus.

Is est genetivus qui, nomini appositus, eius notionem generalem definit. Appositivus vocatur, quia haec constructio proxime ad appositionem pertinet, immo est quaedam appositionis species. « *Aerii mellis caelestia dona* » = dona caelestia quae sunt mel aerium ; « *numerus trecentorum* » = trecenti « *virtus continentiae* » = virtus continentia.

Posterius autem nomen eo in genetivo ponitur, quod duo

nomina tum demum in eodem casu stare possunt, cum persona vel locus simul et appellativo et proprio nomine designatur, quae proprie appositio vocatur : *Rex Tullius*, *amnis Rhenus*.

A. I, 27 « *spretae iniuria formae* » = iniuria quae spreta forma fuit. 376 « Si forte per aures *Troiae nomen* iit. » 736 « In mensam *laticum* libavit *honorem*. » III, 256 « *Nostrae*que iniuria *caedis*. » 504 « Adversique infigitur *arbore mali*. » VI, 381 « Aeternumque locus *Palinuri nomen* habebit. » 408 « Ille admirans venerabile *donum* fatalis *virgae*. » VII, 611 « Ubi certa sedet patribus *sententia pugnae*. » VIII, 429 « Tres imbris torti *radios*, tres *nubis* aquosae. » IX, 296 « *Nomen Creusae* solum defuerit. » 316 « *Casus* evadere *ferri*.» X, 493 « Quisquis *honos tumuli*, quidquid *solamen humandi* est. » 791 « Hic *mortis* durae *casum*. » XI, 576 « pro longae *tegmine pallae*. » G. II, 66 « Herculeaeque *arbos* umbrosa *coronae*. » 69 « Inseritur vero et *nucis arbutus* horrida fetu. » 181 « Palladia gaudent *silva* vivacis *olivae*. » 274 « Si pinguis *agros* metabere *campi*. » 358 « tam leves calamos et rasae *hastilia virgae*. » 438 « Naryciaeque *picis lucos*. » 530 « Velocis *iaculi certamina* ponit in ulmo. » III, 102 « *gloria palmae*. » IV, 1 « Protinus aerii *mellis* caelestia *dona* Exsequor. » 63 « *Cerynthae* ignobile *gramen*. » 224 « Sidus *piscis* aquosi. » E. IV, 24 « Occidet et serpens et fallax herba *veneni*. » IX, 58 « Ventosi *murmuris aurae*. » A. I, 412 « Amictu nebulae. » III, 160 « Longumque *fugae* ne linque *laborem*. » 604 « Si *sceleris* tanta est *iniuria nostri*. » V, 388 Proximus ut viridante *toro* consederat *herbae*. » G. III, 49 Olympiacae *praemia palmae*. »

Cf. Propert. Eleg. I, 17, 7 « Nullane placatae veniet fortuna procellae ? » (= « le bonheur de voir la tempête s'apaiser. ») III, 7, 19 « Et mater non iusta *piae* dare *debita terrae*. » Liv. II, 1 « pignora coniugum ac liberorum » (= « les motifs d'attachement, qui sont les femmes et les enfants. »)

Cf. Cic. Phil. I, 11, 28 « nec erit iustior in senatum non veniendi *morbi causa* quam *mortis*. » de Or. II, 15, 63 « ut *causae* explicentur omnes vel *casus* vel *sapientiae* vel *temeritatis* » (« toutes les causes, à savoir le hasard, la prudence, l'irréflexion. ») Tusc. I, 36, 87 « triste est *nomen carendi*. »

Vergilius, sicut et ceteri poetae, genetivum appositivum nominum propriorum, urbium scilicet et locorum, fluminum, montium etc. nomini appellativo subiungit, ubi solitus prosae orationis usus eumdem casum per appositionem poscit.

A. I, 247 « Hic tamen ille *urbem Patavi* — locavit. » 565 « quis *Troiae* nesciat *urbem*? » III, 293 « Celsam *Buthroti* accedimus *urbem*. » 350 « Arentem *Xanthi* cognomine rivum. » V. 52 « *urbe Mycenae*. » VI, 657 « Plurimus *Eridani* per silvam volvitur *amnis*. » VII, 697 « Et *Cimini* cum *monte lacum*. » 714 « flumen Himellae. » VIII, 597 « prope *Caeritis amnem*. » XI, 457 « piscoso *amne Padusae*. » G. III, 38 *Amnem*que severum *Cocyti* metuet. »

Sed per appositionem A. XII, 713 « *Montem Severum*. » X, 168 « qui *urbem* liquere *Cosas*. » XI, 405 « *Amnis Aufidus*. »

Cf. Cic. Att. V, 18, 1 « *Oppidum Antiochiae*. » Liv. VIII, 15 « *Asturae flumen*. » XXIV, 12 « *lacum Averni*. » 35 « *promontorium Pachyni*. » Tac. Ann. VI, 50 « *promontorium Miseni*. »

Huc pertinet ea constructio quam poetae, Vergilius imprimis, libentissime usurpant. « Abstractum nomen et indefinitum cum concreto per genetivum artissime coniungunt, ita ut in unum quasi corpus duo nomina conflentur. » (Ebeling, de casuum usu Horatiano, ex Garckio ad Hor. Od. I. 23, 5). A. II, 19 « Huc delecta *virum corpora* furtim includunt. » « *Corpora virum* = viri. » VII, 18 « *formae magnorum luporum* » = magni lupi, etc. Nonnihil vero significatio immutatur. Notio enim per periphrasim aliquid magnitudinis et amplitudinis acquirit. Cf. in Benoisti parva Verg. editione

« *Remarques sur la Grammaire* » note 44 : « L'expression, inquit, est quelquefois amplifiée au moyen d'une périphrase : *formae magnorum luporum* équivaut à : *portentosae magnitudinis lupi.* »

G. II, 15 « At saeva *leonum semina* absunt. » III, 369 « *Corpora* magna *boum.* » A. II, 32 « *Molem* mirantur *equi.* » 151 « quo *molem* hanc immanis *equi* statuere? » III, 591 « ignoti *forma viri.* » IV, 90 « *Minae murorum* ingentes. » V. 61 « Bina *boum* vobis — Aeneas dat *capita.* » VI, 22 « Cecropidae iussi (miserum!) septena quotannis *Corpora natorum....* » 285 « Multaque praeterea variarum *monstra ferarum.* » 289 « Forma tricorporis umbrae. » 306 « Defunctaque *corpora* vita Magnanimum *heroum.* » VIII, 44 « triginta *capitum* fetus. » 194 « Semihominis *Caci facies* dira. » IX, 272 « bis sex — lectissima *matrum corpora.* » G. III, 51, id. A. I, 193. II, 18. V, 318. X, 40 « *Sors rerum.* » XI, 197, etc.

Cf. Lucr. I, 493 « *auri rigorem.* » VI, 1011 « validi *ferri* natura. » Prop. III, 2, 17 « *Pyramidum sumptus* ad sidera ducti. »

Eadem periphrasis etiam de nominibus propriis valet. Poetae enim nomen proprium in genetivo alicui nomini abstracto subiungunt. Hor. Od. III, 5, 13 « hoc caverat *mens* provida *Reguli.* » III, 12, 6 « Liparaei *nitor Hebri.* » 21, 11 Narratur et prisci *Catonis* saepe mero caluisse *virtus.* » Et saepe pro isto genetivo adiectivum eadem significatione ponunt. Hor. Od. I, 3, 36 « Perrupit Acheronta *Herculeus labor* »

Haec loquendi figura graecam periphrasim poetis, Homero imprimis, usitatam, imitatur βία Ἀχίλλεως = Ἀχίλλευς.

Cf. Benoist, *Œuvres de Virgile*, vol. III, p. 468, ubi series illarum figurarum Vergilianarum ordine digeritur,

§ 4. — Genetivus materiae et generis.

Genetivus indicat materiam, ex qua aliquid sumitur, vel genus rerum quae nomine regente continentur. Genetivus materiae ab ablativo cum praepositione differt eo, quod hic adhibetur ad materiam proprie indicandam *ex qua* res aliqua effingitur : « mensae *e marmore*, crater *ex aere* ; » ille vero potius genus eius rei exprimit : « flumina *lactis*, montes *auri*. »

In prosa oratione perraro genetivus ille materiae in usum venit.

Liquet omnibus genetivum materiae genetivo quantitatis esse finitimum, ita ut duae notiones genetivo simul exprimantur, et saepe genetivum materiae et generis ad gen. epexegeticum vel appositivum posse referri.

Pauca hic tantum ex Vergilio exempla referam, in quibus genetivus materiam, vel genus, vel etiam quantitatem exprimit.

G. I, 397 « Tenuia nec *lanae* per caelum *vellera* ferri. » 493 « *flammarumque globos*. » II, 164 « *Argenti* rivos *aeris*que *metalla*. » 515 « *Armenta boum*. » IV, 128 « pauca relicti *iugera ruris*. » A. I, 105 « praeruptus *aquae mons*. » 395 « ignotum *argenti pondus* et *auri*. » V, 559 « flexilis *obtorti* per collum *circulus auri*. » VIII, 688 « pars maxima *glandes* liventis *plombi* spargit. » X, 482 « tot *ferri terga*, tot *aeris*. » A. III, 67 « *Sanguinis* et sacri pateras. »

Saepe in locum genetivi generis, epexegetici vel etiam possessivi succedit ablat., qui ad ablat. instrumenti vel materiae referendus est. VI, 704 « *Virgulta* sonantia *silvae*; » et XII, 522 « *Virgulta* sonantia *lauro*. » (= lauri sonantis), XII, 663 « strictis seges *mucronibus* horret. » (= seges mucronum strictorum;) cf. III, 46 « telorum seges. » XII.

672 « *flammis* ad caelum undabat vertex » (= vertex flammarum, cf. flammarum globos; ») VIII, 694 « *telis* volatile ferrum » (= telorum).

Ablativus, ut ex locis allatis patet, non proxime nomini subiungitur, sed intercedente participio, vel verbo, quo quasi adiuvatur et fulcitur. In hac constructione magna orationis subtilitas residet.

§ 5. — Genetivus possessivus.

De hoc genetivi usu nihil quod sit Vergilio proprium inveni.

Saepe ad originem et propinquitatem designandam, parentem praesertim et maritum, nomini proprio aliud nomen proprium per ellipsim in genetivo subiungitur, appellativum *filius*, *coniux*, etc., omittitur. A. III, 319 « *Hectoris Andromache* » (sc. uxor) I, 41 « *Aiax Oilei* » (sc. filius). VI, 36 « *Deiphobe Glauci* (sc. filia). E. VI, 74 « Quid loquar aut *Scyllam Nisi*? » G. I, 138 « claram *Lycaonis Arcton*. »

Haec regentis nominis ellipsis etiam in prosa oratione frequenter occurrit. Cic. Verr. IV, 62 « *Diodorus Timarchidi*. » De Divin. I. 146 « *Caeciliam Metelli*. » Liv. XXV, 32 « *Hasdrubal Gisgonis*. » XXVIII, 12 « *Hasdrubal Hamilcaris*. Val. Max. VI, 7, 1 « Mater *Corneliae Gracchorum* » (sc. matris).

Pro genetivo possessivo saepius poetae adiectivum ex nomine possessoris deductum usurpant. E. IX, 47 « Ecce *Dionaei* processit *Caesaris* astrum. A. VIII, 1 « *Aeneia nutrix*. » X, 39 « *Evandrius ensis*. » Illis adiectivis possessivis ex hominum deorumque nominibus deductis vix prosaici scriptores utuntur. A. III, 428 « Coniugis *Hectoreae*. 602 « Scio me *Danais* e classibus unum. » V, 24 « *fraterna* Erycis litora. » IX, 471 « *Agamemnonius Orestes*. » Cf. Hor. Od. I, 15, 36

« Uret *Achaicus* ignis *Iliacas* domos. » IV, 12, 18 « Qui nunc *Sulpiciis* accubat horreis. » In prosa haec constructio usu venit tantum ad adoptatorem et magistrum designandum, quod fit patronymico adiectivo nomini personae quae adoptata est vel quae docetur, subiciendo : « *Scipio Aemilianus.* » Cic. Tusc. II, 26, 62 « *Xenophon Socraticus.* » II, 22, 52 « *Anaxarchus Democritius.* »

§ 6. — Genetivus auctoris vel originis.

In genetivo ponitur res vel persona a qua quid oritur vel factum est. Cum genetivo possessivo valde affinis est genetivus auctoris ; nam qui aliquam rem confecit, is est eius rei possessor. E. III, 37 « Caelatum *divini* opus *Alcimedontis.* » IV, 49 « Cara *deum* suboles, magnum *Iovis* incrementum. » Hae locutiones similesque aliae plane Vergilianae sunt et poeticae, in quibus appositio verborum *opus*, *suboles*, *proles* cum genetivo auctoris quamdam notioni magnitudinem addunt. (Cf. de ea appositionis genere p. 78). A. I, 329 « An Nympharum *sanguinis* una. » I, 338 Punica regna vides, Tyrios et *Agenoris* urbem. » 356 « Caecumque *domus* scelus omne retexit. » III, 59 « Monstra *deum* refero. » 331 « *Scelerum* Furiis agitatus Orestes. » IV, 36 « Aegram nulli quondam flexere mariti, Non *Libyae*, non ante *Tyro.* » (Nota hic originem simul per genetivum et ablat. indicari). I, 323 « Succinctam tegmine *lyncis.* » IV, 565 « Ipse *deum* poenas docuit. » VIII, 292 « *Iunonis* fatis iniquae. » 377 « Non arma rogavi *Artis opis*que *tuae.* » X, 772 « Pactae *coniugis* ostrum » (= vestis purpurea a coniuge texta). E. VIII, 45 « Nec *generis nostri* puerum nec *sanguinis* edunt. » VI, 41 « Hinc lapides *Pyrrhae* iactos. » Nisi forte mavis *Pyrrhae* dativum esse personae agentis cum passivo verbo ; quin sic interpreteris

nil obstat. E. VIII, 51 « *Boreae* frigora. » G. I, 168 « Si te digna manet divini gloria *ruris* » (= quae tibi ex rure, ex agris colendis eveniet).

Cf. Lucr. I, 312 « Multis *solis* redeuntibus annis » (anni *solis* = anni qui sole circumvoluto efficiuntur).

Cf. Verg. A. III, 284 « magnum sol circumvolvitur annum.» Prop. I, 15, 1 « Saepe ego multa *tuae levitatis* damna timebam. » III, 9, 42 « *Palladiae* ligneus *artis* equus. » Liv. II, 51, 4 « *pugnae* clades. » II, 55, 3 « *plebis* homines. »

§ 7. — Genetivus obiectivus.

A. *Cum substantivis.*

Genetivus obiectivus tanquam attributiva determinatio nomini abstracto subiungitur, et obiectivus ideo vocatur, quod obiecto verbi respondet ita ut, si nomen genetivum regens in verbum converteretur, nomen in genetivo illius verbi obiectum fieret. Proprie igitur tantummodo nominibus verbalibus, id est, in quibus inest notio actionis, et quidem verbi transitivi genetivus ille subiungi deberet ad obiectum transitivum designandum. Sed ceteris etiam nominibus intransitivi verbi notionem continentibus genetivus subiungitur ad designandum obiectum quod, si nomen in verbum transiret, alio casu vel etiam praepositione expressum ab eo verbo penderet, v. g. « fiducia *rerum*, » quamvis dicatur : fidere *rebus*; « iudicium *pulchritudinis* » = de pulchritudine.

Non solum poetae, sed et prosaici scriptores ea paulo audaciori constructione usi sunt.

G. I, 416 « aut *rerum* fato *prudentia* maior. » II, 173 « Salve, magna *parens frugum*. » 301 « Tantus *amor terrae*. » 415 « Incultique exercet *cura salicti*. » 419 « *Pestis* acerba

boum. » III, 211 « Sive *boum*, sive cui gratior *usus equorum.*» IV, 87 « *Pulveris* exigui *iactu.* » 110 « *Custos furum* atque *avium.* » (= qui custodit a furibus). 184 « Omnibus una *quies operum* » (= ab operibus resquiescunt). 214 « *Operum* custos. » 324 « Quo tibi *nostri* pulsus *amor*? » II, 1 « *Arvorum* cultus. » A. I, 132 « Tantam vos *generis* tenuit *fiducia* vestri? « 138 « Non illi *imperium pelagi* sorte datum. » 346 « *Regna Tyri* germanus habebat. » 361 « *Odium tyranni* — aut *metus* acer erat. » 462 « Sunt *lacrimae rerum* » (= propter res : homines de rebus lacrimantur). Cf. Eurip. Hec. 743 ὁρᾷς νέκρον τόνδε; οὗ καταστάζω δάκρυ (= propter quem lacrimas effundo). 556 « Nec *spes* iam restat *Iuli* » (= in Iulo posita). 675 « Sed magno *Aeneae* mecum teneatur amore. » II, 31 « *Donum* exitiale *Minervae* » (= Minervae destinatum). 162 « Coepti *fiducia belli.* » 431 « *flamma* extrema *meorum* » (= qua mei combusti sunt). 453 « Pervius *usus tectorum* Priami inter se » (= aditus in tecta). 503 « Quinquaginta illi thalami, *spes* tanta *nepotum.* » 585 « Sumpsisse *poenas merentis.* » 595 « Aut quo tibi *nostri cura* recessit? » 646 « facilis *iactura sepulcri.* » 784 « *lacrimas* dilectae pelle *Creusae.* » III, 145 « unde *laborum* tentari *auxilium* iubeat. » IV, 201 « *Excubias divum* aeternas. » Cf. A. II, 156 « Vittae deum » (= quibus in honorem deum tempora cinguntur). IV, 354 « *Capitis iniuria* cari. » 423 « Sola *viri* molles *aditus* et tempora noras. » VI, 24 « Crudelis *amor tauri.* » 364 « per *spes* surgentis *Iuli.* » Cf. X, 524, id. VI, 653 « quae *gratia currum Armorumque* fuit vivis. » VI, 740 « Veterum *malorum supplicia* expendunt. » VII, 199 « Sive *errore viae*, seu tempestatibus acti. » Cf. II, 412 « Graiarum *errore iubarum*; » et III, 181 « Seque novo deceptus veterum *errore locorum.* » VIII, 46 « *Requies* ea certa *laborum.* » G. III, 452 « Non tamen ulla magis praesens *fortuna laborum* est. » A. VIII, 273 « tantarum in *munere laudum* » (= sacrificium in honorem tantarum laudum fac-

tum). 396 « quo *fiducia mei* cessit? » IX, 141, id. 278 « Tibi maxima *rerum verborumque fides*. » 290 « Hanc sine *spem* ferre *tui* » (= sine me hoc de te sperare). X, 143 « quem *pulsi gloria Turni* sublimem tollit. » 863 « *Lausique dolorum* ultor eris mecum » (=dolorum quos ex morte Lausi concepi). X, 1, 790 « pulsae *tropaeum virginis*. » X, 189 « *luctu Phaetontis* amati. » 622 « *Mora* praesentis *leti*. » XI, 4 « Vota *deum* » (= quae diis voverat). 566 « *donum Triviae* » (= Triviae devotum). 856 «ut capias digna *Camillae praemia* » (= praemia pro Camilla occisa). XII, 241 « requiem *pugnae*. » 323 « nec sese *Aeneae* iactavit *vulnere* quisquam. » 495 « laesi testatus *foederis aras*. »

Nota IX, 422 : « Tu tamen interea calido mihi sanguine *poenas* Persolves *amborum* ; » ubi poena cum genetivo personae cuius mors est luenda construitur. Eius quidem constructionis nullum aliud exemplum invenitur. Apud Graecos vero ποινή cum genet. personae cuius mors luenda est saepe ab Homero usurpatur. Cf. Iliad. XIV, 483 « ποινὴ κασιγνήτου. » IX, 635 « ποινὴ παιδός. » Quod ex primordiali vocabuli sensu explicatur. Ποινή enim est proprie pecunia pro aliqua culpa, pro aliquo necato, qua facinus redimitur et luitur.

Cf. Plaut. Amph. Prol. 108 « *Usuram*que *eius corporis* cepit sibi. » Pers. V, 2, 8 « Quia *fidem* ei non habui *argenti*. » Ter. And. I, 5. 26 Amor, *misericordia huius*, *nuptiarum sollicitatio*, Tum *patris pudor*. » Plaut. Cas. V, 2, 13 « illecebram *stupri* » (= ad stuprum). Lucr. III, 101 « *sceleris* luella. » VI, 1274 « religio *divum*. » Catul. 64, 77 « *Poenas caedis* Androgeoneae. » Tibul. II, 1, 33 « *Gentis Aquitanae* celeber Messala *triumphis*. » Ovid. Met. VIII, 433 « Nec te *fiducia formae* decipiat. »

Cic. Mur. 13 « Cuius *belli victor* » (= qui bellum victor confecit). Verr. III, 52 « Vos *coniecturam totius provinciae* non facietis ? (= de provincia). Nat. deor. I, 12 « in *deorum opinione* » (= de diis). Planc, 32 « dimicatio *vitae*. » Lael. I,

25 « ambitio *honorum*que *contentio.* » Liv. XXI, 16, 2 « *Pudor* non *lati auxilii.* » II, 21, errores temporum. I, 59 « praesens *rerum indignitas.* « XXI, 5, 4 « gemitus vulnerum. »

Nota. — Genetivus, quem *subiectivum* grammatici vocant, indicat contra nomen in genetivo positum non iam obiectum, sed subiectum esse verbi in nomine regente inclusi: A. II, 572, « *poenas Danaum* » = a Danais impositas. XII, 541 « *clipei mora* » = mora clipeo obiecta. Aliquando fit ut duplici sensu genetivus adhibeatur nec discerni possit utrum sit obiectivus au subiectivus : « Metus hostium » = obiective, metus quo hostes timentur, subiective : metus quo hostes timent. Ex generali sententiae sensu vera genetivi significatio semper expediri potest.

Hic genetivus ad genetivum auctoris vel originis revocandus est. Pauca igitur hic addam Vergilii exempla. G. I, 504 « atque *hominum* queritur curare *triumphos.* » II, 495 « *populi* fasces. » III, 227 « plagas superbi *victoris.* » A. I, 646 « Omnis in Ascanio cari stat *cura parentis.* » II, 54 « fata *deum.* » 436 « Pelias et *vulnere* tardus *Ulixi* » (= vulnere ab Ulixe illato). 572 « poenas *Danaum.* » V, 617 « taedet *pelagi* perferre *laborem.* » VI, 446 « Crudelis *nati* monstrantem *vulnera.* » VIII, 292 « *fatis Iunonis* iniquae. X, 109 « Seu *fatis Italum* castra obsidione tenentur. » 485 « *Loricaeque moras* et pectus perforat ingens. » XI, 41 « Ut vidit *vulnus cuspidis* Ausoniae. » XII, 541 « Nec misero *clipei mora* profuit aerei. »

Nota IX, 397 *Fraude loci* et noctis subito turbante tumultu.» *Fraus* cum genetivo rei quae personae partes gerit, solum apud poetas et posteriores scriptores invenitur.

Cf. Prop. III, 6, 2 « Sic tibi sunt *dominae*, Lygdame, dempta *iuga.*

Restat, ut genetivum substantivis adiunctum absolvam, ut quaedam afferam loca, in quibus Vergilius genetivo liberius more Graecorum usus, quasdam loquendi formulas brevitatis

causa admisit, in quibus genetivus totius relativae enuntiationis partes gerit, et modo causam, modo finem et propositum, modo aliam relationem exprimit. A. V, 119 « Chimaeram, *urbis* opus. » X, 162 « Sidera, opacae *noctis* iter. » (= quibus cursus per noctem dirigitur). XII, 603 « Nodum informis *leti* trabe nectit ab alta» (= nodum quo sibi mortem adsciscat) ; cf. Eurip. Hippol. 802 βρόχον κρεμαστὸν ἀγχόνης ἀνήψατο. Ennius Ann. l. I « Utrei magnei *victoria* sit data *regnei* (= qua regnum obtineret). VII, 747 « gens assueta multo *venatu nemorum* » (= venatu in nemoribus ; audax quidem constructio, ex qua coniectaverim *venari* cum accusativo construi posse: *venari nemora*. (Cf. Ladewig. ad locum.)

B. *Genitivus obiectivus cum adiectivis.*

Infinitus est numerus adiectivorum quae Latini cum genetivo obiectivo construunt. Ut enim genetivus substantivum cui adiungitur definit, sic et adiectivo subiunctus, eius adiectivi notionem, propius definit et limitat. In adiectivo scilicet inest notio nominalis. Ut enim *memoria temporis praeteriti, fiducia rerum*, sic *memor temporis praeteriti, fidus rerum* dicitur. In utraque genetivi constructione duo notiones eadem ratione in unam conflantur, quarum genetivus generalem, nomen vero genet. regens peculiarem continet.

Ut rem ordine disponam, ea adiectiva relativa in classes, habita significationis ratione, dispertiar.

a) Adiectiva *desiderii* et *fastidii* ;— *notitiae* et *ignorantiae*; — *usus* et *consuetudinis*.

Cum genetivo scriptores classicae latinitatis construunt : *avidus, cupidus, studiosus, — conscius, inscius, nescius, gnarus, ignarus, peritus, imperitus, prudens, imprudens, providus, memor, immemor, rudis, insolens, insuetus, consultus,*

certior. Inutile est igitur omnia Vergilii loca afferre in quibus haec adiectiva normae orationis pedestris congruenter cum genet. construuntur. Pauca haec sufficiant :

A. I, 299 « Ne *fati nescia* Dido. » 543 « At sperate deos *memores fandi* atque *nefandi*. » VI, 66 « Tuque, o sanctissima vates, *praescia venturi*. » G. II, 471 « Et *patiens operum* iuventus. » A. XI, 639 « *Vulneris impatiens* equus. » Primum *impatiens* tanquam relativum adiectivum cum genetivo construitur. G. II, 372 « dum frons tenera *imprudens*que *laborum*. » III, 189 « Invalidus etiamque tremens, etiam *inscius aevi*. » A. XII, 430 « *avidus pugnae*. » A. XI, 812 « *conscius* audacis *facti*. » VIII, 392 « *conscia formae* coniux. » X, 666 « *ignarus rerum*. » V, 284 « *ignara operum* serva. » VIII, 464 « heros *sermonum memor*. » G. IV, 156 « memor hiemis venturae. »

Vergilius vero quaedam adiectiva eodem modo construit quae non in prosa classica cum genetivo occurrunt. A. X, 173 « *Expertos belli* iuvenes, » quod fere inusitatum ceteris est scriptoribus. Attamen Tac. Hist. IV, 76 « *expertum belli*, » et Liv. XXIV, 22 « *servitudinis indignitatisque expertos*. » — *Praesagus* : A. X, 833 « *praesaga mali* mens. » *Praescius* : A. VI, 66 « Tuque, o sanctissima vates, *praescia venturi*. » Cf. Tac. A. VI, 21 « *praescium periculorum*. » — *Doctus* : A. X, 225 « *fandi doctissima* Cymodocea. » Cf. Hor. A. P. 380 « *indoctus*que *pilae, discive trochive*. » *Certus* : A. IV, 554 « *Certus eundi*. »

B) Adiectiva quae *potentiam* et *impotentiam* significant.

Unum vero adiectivum *compos* in classica latinitate cum genetivo coniungitur. Apud Vergilium et Livium etiam cum ablat. construitur. Poetica est et prosaicis scriptoribus aureae aetatis inusitata constructio ceterorum adiectivorum eiusdem significationis cum genetivo.

A. VII, 541 « *Promissi* dea facta *potens*. » Cf. Liv. XXIII,

16, 6 « *potentes rerum suarum.* » IV, 203 « *amens animi.* » 300 : *inops animi.* » (= hors d'elle-même). Cf. Ovid. Fast. IV, 457 « *mentis inops.* » Cic. de Or. II, 10, 40 « *inops humanitatis.* » Lael. XV, 53 « *inops amicorum.* » Hic vero *inops* ad adiectiva inopiae pertinet, itaque etiam cum abl. Cic. construit. Brut. LXX, 247 « non *inops verbis.* » Cf.: « *inanis aliqua re* » ad Att. II, 8, 1. A. VII, 440 « *veri effeta* senectus. » V, 396 *effetus* absolute usurpatur. A, X, 630 « *veri vana* ; » nova constructio, ante Vergilium non usitata, quam Sil. imitatus est XII, 260 « *vanus voti.* »

ε) Adiectiva *participationis* et *privationis.*

Ad classicae latinitatis normam cum genetivo construuntur *particeps, expers, consors, affinis.* Ad poeticum vel ad antiquum loquendi morem referenda sunt alia adiectiva cum genetivo. A. VI, 428 « *vitae exsortes.* A Livio in prosam orationem admissa constructio : Liv. XXII, 44, 7 « *exsortes culpae.* » A. XII, 559 « aspicit urbem *Immunem tanti belli* atque impune quietam. » *Immunis* a Livio etiam cum genet. construitur XXXVIII, 44, 4 « *eorum* (portoriorum) *immunes* Romani. » Ceterum cum abl. II, 638 « Vos o quibus *integer aevi* Sanguis. » IX, 254 « *integer aevi* Ascanius. » V, 73 *aevi maturus* Acestes. » IX, 254 « *animi maturus* Aletes. » Ovid. Met. VIII, 617 cum abl : « *animo maturus* et *aevo.* » A. X, 154 « *libera fati* gens Lydia. » Cf. Hor. A. P. 212 « liber laborum » ; Cf. et Plaut. Amph. Prol. 105, ubi genet. post *liber* diverso sensu adhibetur. Haec constructio ad imitationem Graecorum, qui ἐλεύθερος cum gen. construunt : Eurip. Phoen. 999 οἱ μὲν θεσφάτων ἐλεύθεροι κοὐκ εἰς ἀνάγκην δαιμόνων ἀφιγμένοι. (nota etiam ἀνάγκη δαιμόνων = fata deum).

Huc pertinent adiectiva *criminis* et *innocentiae* ; sed nullum apud Vergilium locum invenio ubi haec adiectiva relative usurpentur.

D) Adiectiva *copiae* et *inopiae :*

Ad classicorum morem et usum cum genetivo construuntur *plenus, refertus, inops, inanis* : A. I, 460 « quae regio nostri non *plena laboris ?* » E. III, 60 « *Iovis* omnia *plena.* » A. IV, 300 « *inops animi.* »

Poeticum est et a classica latinitate alienum cetera adiectiva eiusdem significationis cum genetivo construere. *dives :* G. II, 136 « Medorum *silvae ditissima* terra. » 467 « Vita *dives opum* variarum. » E. II, 20 « quam *dives* sim *pecoris.* » A. II, 22 « Insula, *dives opum.* » I, 343 « Huic coniux Sichaeus erat, *ditissimus agri.* » X, 563 id. IX, 26 « Exercitus — *dives equum, dives* pictai *vestis* et *auri.* » Sed et cum ablat. A. IV, 38 « Africa terra *triumphis dives.* » X, 201 « Mantua *dives avis.* » — *Laetus :* A. I, 441 « Lucus in urbe fuit *laetissimus umbrae.* » Cf. Sall. Hist. II « *frugum pabuli*que *laetus* ager. » Cum abl. G. II, 112 « Litora *myrtetis laetissima.* » A. XI, 73 *laeta laborum ;* » sed hic genetivi non idem sensus est. — *Fertilis* : G, II, 191 « Hic (campus) *fertilis uvae,* Hic *laticis.* » Hic tantum semel Verg. *fertilis* cum genet. coniungit ; ceterum cum ablat. In prosa etiam oratione ambae constructiones occurrunt. — *Ferax :* G. II, 222 « illa *ferax oleae* est. » In hoc loco Mediceus habet *oleae ;* Romanus vero et Palatinus *oleo,* dat. = ad. oleum. Adiectiva enim *ferax, fertilis, fecundus, infecundus, sterilis* cum genetivo et dativo coniunguntur. Invenitur etiam accus. cum *ad, in ;* cf, Varro R. R. I, 9 « Terra *fecundior ad multa.* » Lucan. IX, 630 « *fertilis in mortes.* » Sen. Med. V, 956 « *sterilis in poenas* fui. — *Felix :* G. I, 277 « dies *felices operum.* » Cf. tamen A. VI, 785 « *felix prole.* » — *Largus* : A. XI, 338 « *largus opum.* » — *Egenus* : A, I, 599 « *Omnium egenos.* » Cf. Lucr, III, 1011 « *lucis egenus* Tartarus. » — *Indigus* : G. II, 428 : « *opis* haud *indiga* nostrae. » *Indigus* verbum Lucretius primus finxit, tum et sequentes poetae usurparunt ; denique in prosam orationem inductum est. Lucretius vero modo cum ablat. V, 224, modo

cum genet. I, 61, construit; ceteri scriptores hanc solam constructionem adhibent. Cf. Tac. H. III, 22 « indigus *rectoris*, inops consilii ; » ibid 48 « Urbem *externae opis* indigam. » Plin. VIII, c. 61 initio : *indigus stipendiorum*. — *Abundans* : E. II, 20 « Nivei quam *lactis abundans*. » Cf. VII, 552 « *terrorum* et *fraudis abunde* est. » Huc pertinet adiectivum *vanus* quod supra iam notavimus cum genetivo constructum. Notio enim potentiae cum notione abundantiae cohaeret, ita ut *potens* saepe eadem significatione et constructione qua *abundans*, *fertilis* etc. usurpetur. — *Truncus* : G. IV, 319 « *trunca pedum* animalia. » Verg. hanc novam locutionem primus adhibuit. Lucret. dixerat V, 835 « *orba pedum* ; » Sil. Ital. Vergilii imitator X, 311 « *truncus capitis*. »

E) Adiectiva *metus* et *confidentiae* :

G. III, 289 « Nec sum *animi dubius* verbis ea vincere magnum. » Sed hic *animi* potius ad locativum referendum videtur. A. XI, 417 « Ille mihi ante alios *fortunatus*que *laborum*. » XII, 589 « Illae intus *trepidae rerum*. » I, 350 « (Pygmalion) *securus amorum* germanae. » VII, 304 « *Securi pelagi* atque *mei*. » Apud Vergilium Horatiumque primum occurrit *securus* cum genetivo. Hanc constructionem postea ceteri poetae scriptoresque, Tac., Quintil., Senec. imitati sunt. A. X, 326 « Dardania stratus dextra, *securus amorum* (Cydon). » Cf. Hor. Epist. II, 2, 17 « *poenae securus*. » 3, 28 « serpit humi *tutus* nimium *timidus*que *procellae*. » Ovid. Trist. I, 1, 49 « Denique *securus famae*, Liber, ire memento. » Tac. Hist. III, 41 « *dedecoris securos*. » Sen. Vit. beat. 26 « *futuri securus*. » — *Certus* : A. IV, 554 « *Certus eundi*. » *Certus* (= « aliquid propositum sibi habere ») cum genetivo, est poetarum et posteriorum scriptorum. — *Fidus* : A. XII, 657 « Regina *tui fidissima*. » Genetivus hic adhibetur propter analogiam cum nomine *fiducia*, quod cum genetivo obiectivo construi solet. Haec tamen

genetivi constructio post *fidus* non in prosa oratione invenitur. Sunt itaque editores qui *tibi* scripserunt; sed nullum dubio locum codd. relinquunt. *Tui fidissima* = « tui amantissima. »

Cf. eandem genetivi constructionem apud Lucret. Prop. III, 13, extr. « *fallacem patriae* serpere dixit equum. » Liv. IV, 23, 3 « *incertus veri* ; » IV, 57, 3 « *incertus sententiae.* » XXXVI, 42, 6 « *consilii*; » — XXIV, 24, 9 « *incertae rerum*; » — V, 11, 4 « *trepidi rerum suarum.* »

f) Multa denique poetae adiectiva insolentius cum genetivo construunt, qui genetivus graecus possit vocari. Nam a prosa oratione omnino abhorret, etsi scriptoribus posterioris, quam argenteam vocamus, aetatis usitatus. De qua genetivi liberiori constructione vid. Ruddimann II, p. 73.

Multi ex locis quos iam attulimus graecam syntaxim sapiunt. Pauca tantum ex Vergilio exempla afferenda supersunt, quae non ad superiora capita possint revocari.

Maturus : A. V, 73 « *aevi maturus* Acestes. » A. IX, 245 Annis gravis atque *animi maturus* Aletes. » — *Fessus* : A. I, 178 « *fessi rerum.* » *Fessus* Verg. primus cum genetivo construit. Eum alii postea poetae imitati sunt Stat. Theb. III, 395 « *fessus belli viaeque* ; » Sil. It. II, 234 « *fessus salutis* » (= « épuisé à force de chercher un moyen de salut. ») *Maturus* vero Verg. primus et solus tanquam adiectivum relativum cum genetivo construit. — *Felix* : G. I, 277 « Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna *Felices operum.* » Cf. Plat. Phaed. p. 58 E (Stallbaum) εὐδαίμων τοῦ τρόπου καὶ τῶν λόγων. — *Ingratus* : X, 630 « *ingratus salutis.* » XI, 73 « *Laeta laborum* Dido. » G. III, 398 « Labitur *infelix studiorum* equus. » Sic recte Benoistus interpretatur : « Malheureux dans les objets de sa passion, ne trouvant aucun secours dans les victoires qu'il a remportées. »

Cf. Hor. Od. III, 21, 26 « *Inane lymphae* dolium. » II, 6, 7 « Sit modo *lasso maris* et *viarum militiae*que. » S. I, 9, 11

« O te, Bolane, *cerebri felicem!* » I, 10, 21 « O *seri studiorum.* » Od. II, 2, 6 « *notus* in fratres *animi* paterni. »

Ov. Met. I, 613 « *anxius furti.* » XI, 314 « *degener artis* patriae. » Fast. III, 383 « Mamurius *morum* fabraene *exactior artis:* » Met. X, 616 « Mens *interrita leti.* »

Liv. III, 26, 12 « *nimius imperii.* » V, 11 « *trepidi rerum* suarum. » Tac. Ann. XIV, 33 « barbari laeti praeda et *aliorum segnes.* » XIX, 40 « Marcellus — neque *morum spernendus* habebatur. »

De genetivo *animi* cum adiectivis coniuncti, vide quae infra de locativo disseruntur.

Vergilius numerum adiectivorum relativorum auxit quae cum genetivo construuntur, ea tamen graeca constructione moderate usus. Post autem classicam aetatem ille genetivi liberior cum adiectivis usus mirum in modum invaluit; inter ceteros scriptores Tacitus modum excedere videtur ; quodlibet enim adiectivum quod ablativum requirit, cum genetivo ad libitum construit.

G) *Participia praesentis* in — *ans* et — *ens* exeuntia ex verbis *transitivis* derivata cum genetivo construi solent et naturam adiectivorum accipiunt. Aliqua tamen intransitivorum etiam verborum participia a poetis et posterioris aetatis scriptoribus eodem modo construuntur. Ea loquendi formula in primis Cicero delectari videtur, quam frequentissime usurpat. Ex Vergilio haec excepi :

A. II, 427 « *Servantissimus aequi.* » V, 751 « animos nil magnae *laudis egentes.* » *Egens* eundem regit casum atque *egere.* VIII, 299 « Non te *rationis egentem.* » XI, 27 « quem non *virtutis egentem* abstulit atra dies. » VII, 197 « quae causa rates aut *cuius egentes* vexit ? » XI, 343 « Rem nulli obscuram, nostrae nec *vocis egentem* Consulis, o bone rex. » G. II, 471 « Et *patiens operum* exiguoque assueta iuventus. »

A. V, 717 « Et quidquid tecum invalidum *metuens*que *pericli* est Delige. »

Cf. Hor. Od. IV, 9, 37 « et *abstinens* ducentis ad se cuncta *pecuniae*. » III, 9, 10 « citharae sciens. » Ibid. 19, 16 « *rixarum metuens*. » Epist. II, 2, 5 « *metuens* pendentis *habenae*. »

Plaut. Mil. gl. IV, 2, 58 « Nam hunc anulum ab *tui cupienti* huic detuli. » Terent. Phorm. IV, 3, 18 « *fugitans litium*. » Cic. ad Quint. fr. I, 2, 11 « *Mei observantissimus* et *sui iuris* dignitatisque *retinens*. » Liv. IX, 18, 1 « Secundis rebus, *quarum* nemo *intolerantior* fuit. » XXIV, 25, 9 « *indulgens irarum*. » *Indulgens* apud Ciceronem semper cum dativo.

C. *Genetivus obiectivus cum verbis.*

1. — Cum verbis *copiae* et *inopiae*.

Haec verba ablativum post se requirunt, atque haec constructio pro solita et vulgari habenda est. Attamen non solum poetae, sed et solutae orationis scriptores genetivum etiam his verbis subiungunt. Quaedam vero verba copiae potissimum a poetis cum genetivo construuntur, quae in prosa oratione semper cum ablativo coniunguntur.

Indigere apud Ciceronem ipsum saepius cum genetivo quam cum abl. iungitur. Ceteri prosaici scriptores ad libitum utrumque casum admittunt. Apud Vergilium vero verbum semel occurrit, et cum genetivo construitur E. II, 71 « Quin tu aliquid saltem potius, *quorum indiget* usus » — Cf. Plaut. Cist. I, 1, 33 « volunt — suique *omnium rerum* nos *indigere*.» Terent. Andr. V, 3, 19 « Quasi tu huius *indigeas patris*. » Cic. de orat. I, 34, 156 «Non tam *artis indigent* quam *laboris*.»

Egere cum ablativo solet construi ; genetivus tamen apud omnium aetatum scriptores invenitur. Vergilius et genetivum

et ablativum admittit : G. II, 28 « Nil *radicis egent* aliae. » A. IX, 28 « Has ego Dardanio, cum *classis egeret*, Laeta dedi. » Cf. participium *egens* cum genet. A. VIII, 299 « Non te *rationis egentem* Lernaeus turba capitum circumstetit anguis. » Hic iam citatus locus huc melius pertinet ; nam *egentem* naturam participii retinet, et praetereuntem actionem, non permanentem statum designat. *Egere* cum abl. II, 521 « Non tali *auxilio* nec *defensoribus* istis Tempus *eget*. »

Cf. Lucret. I, 160 « nil *semine egeret*. » III, 134 « proprio quae tum res *nomine egebat*. » Sed III, 45 cum genet : « Nec prosum quicquam *nostrae rationis egere*. » Hor. S. I, 1, 59 « at qui *tantuli eget*, quanto est opus. » Ibid. 4, 18 « dum *custodis eges*. » Epist. II, 3, 154 « Si *plausoris eges* aulaea manentis. » Cum abl. Od. I, 22, 2 « Non *eget Mauris iaculis*. » Livius bis *egere* cum genet. construit : III, 28, 10 « *Sanguinis* se Aequorum non *egere*. » 52, 9 « quominus illi *auxilii egeant*. »

Implere Vergilius semper cum ablativo construit; *impleri* vero, id est satiari cum genetivo, graecam locutionem imitatus ἐμπιμπλᾶσθαι σίτων καί ποτῶν. G. III, 94 « Pelion *hinnitu* fugiens *implevit* acuto. » IV, 515 « Maestis late loca *questibus implet*. » 461 « *Clamore* supremos *Implerunt* montes. » E. VI, 48 « Praetides *implerunt* falsis *mugitibus* agros. » A. I, 729 « *Implevit mero* pateram. » II, 769 « *Implevi clamore* vias. » III, 313 « *Implevit clamore* locum. » 526 « Anchises cratera — *implevit mero*. » 434 « animum si *veris* implet Apollo. » IV, 30 « Sinum *lacrimis implevit* obortis. » 605 « *Implessem*que foros *flammis*. » V, 341 « Hic totum caveae consessum — magnis Salius *clamoribus implet*. » VII, 23 « Neptunus *ventis implevit* vela secundis. » 475 « Dum Turnus Rutulos *animis* audacibus *implet*. » VIII, 216 « Omne *querelis Impleri* nemus. » IX, 72 « atque manum *pinu* flagranti fervidus *implet*. » 479 « Caelum dehinc *questibus implet*. » XI, 448 « Magnis urbem *terroribus implet*. » 274

« scopulos lacrimosis *vocibus implent.* » XII, 588 « Pastor vestigavit apes *fumo*que *implevit* amaro. » — *Impleri* A. I, 215 « *Implentur veteris Bacchi* pinguisque ferinae. » Cic. bis *implere* cum genet. construit: fam. IX, 18, 4 « Si aestimationes tuas vendere non potes neque ollam *denariorum implere.* » Verr. I, 46, 119 « Piso multos codices *implevit earum rerum.* » Liv. XXXV, 35, 6 « quem adveniens extemplo *spei implevit.* » Cf. XXV, 40, 7; III, 63, 10; I, 46, 8, etc.; saepius cum genet. quam cum abl. cf. Kühnast, Livianische Synt. p. 77, Draeger, I, p. 517.

Ea erat iam verbi *implere* apud antiquos scriptores constructio. Cat. R. R. 88 « *impleto aquae* purae. » Plaut. Aul. III, 6, 15 « omnes angulos *furum implevisti.* »

Explere A. II, 589 « Animumque *explesse* iuvabit Ultricis *flammae.* » Weidnerus ad locum animadvertit totam locutionis rationem quadam sermonis impuritate laborare. Ceterum cum abl. : G. III, 431 « hic *piscibus* atram Improbus ingluviem *ranis*que *loquacibus explet.* IV, 10 « *Fuco*que et *floribus* oras *Explent.* » A. III, 630 « *Expletus dapibus.* »

Haec verba Horatius semper cum abl. construit. Cf. De ablativo post verba *copiae* et *inopiae.*

2.—Verba *memoriae* et *oblivionis* genetivum regere solent, sed accusativum tamen saepe etiam admittunt nec solum accus. pronominis neutrius generis, sed et nominis.

Meminisse cum genet. XI, 280 « Nec *veterum memini* laetorve *malorum.* » Genetivus a verbo *memini* proprie pendet, deinde etiam ab altero verbo *laetor*, et tunc fit genetivus causalis, sive causam indicans. Ni mavis hic videre figuram illam quod zeugma vocatur. G. III, 90 « Et *quorum* Graii *meminere* poetae. » 216 « Nec *nemorum* patitur *meminisse* nec *herbae.* » A. I, 733 « nostrasque *huius meminisse* minores. » III, 202 « nec *meminisse viae* media Palinurus in unda. » IV, 335 « nec me *meminisse* pigebit *Elissae.* » Cum accusativo A.

I, 203 « forsitan et *haec meminisse* iuvabit. » E. IX, 45 « *numeros memini*, si verba tenerem. » Cf. Plaut. Poen. IV, 4, 102 (acc.) « ecquid *meministi* tuum parentum *nomina*? » Cic. de orat. III, 50, 194 (acc.) « *quem* tu probe *meministi*. » p. Planc. 33, 80 « qui sunt boni cives, nisi qui patriae *beneficia meminerunt?* » Phil. 5, 6 « *Cinnam memini*, etc.» ; cum gen. Fin. V, 1, 3 « *vivorum memini*, nec tamen Epicuri licet oblivisci. » Cf. Divin. I, 30. 63.

Recordari Vergil., sicut et ceteri omnium aetatum scriptores, cum accusativo construit : A. III, 107 « si rite *audita recordor*. » VIII, 156 « Ut *verba* parentis et *vocem* Anchisae magni *vultum*que *recordor!* »

Oblivisci Verg. semper cum genetivo, praeter duos locos, construit. G. III, 245 « *Catulorum oblita* leaena. » A. III, 629 « *Oblitusve sui* est Ithacus. » IV, 267 « *regni rerum*que *oblite* tuarum ! » 528 « Corda *oblita laborum*. » V, 174 « *Oblitus decoris*que sui sociumque *salutis*. » 703 « *Oblitus fatorum*. » 334 « Non ille *oblitus amorum*. » Bis cum acc : G. II, 59 « Pomaque degenerant *succos oblita* priores; » A. II, 148 « Iam nunc *obliviscere Graios*. »

3. — Genetivus *graecus*.

Locum illum Vergilii singularem notissimumque A. XI, 126 « *Iustitiaene* prius mirer *belline laborum* ? » varie commentatores, quod ad syntacticam rationem attinet, explicant. Benoistus (cf. adnot. ad locum) censet genetivum illum nihil a latina syntaxi abhorrere, atque genetivum esse obiectivum qui relationem indicet, qua inter se actio et obiectum verbi coniungantur ; multasque ait latinam linguam habere eiusmodi formulas, quae ad propriam latinae linguae syntaxim pertineant. Fatetur tamen doctissimus Vergilii interpretator hanc genetivi constructionem, quam non multi inde scriptores secuti sunt, audaciorem esse et graecum sapere (θαυμάζειν τινὰ τῆς ἀρετῆς), quod mihi quidem probabilius

videtur. Censeam enim cum Forbigero, Coningtone et Draegero (Histor. synt. I, p. 454) eam esse graecam constructionem, sicut et multas alias genetivi constructiones post adiectiva, quas supra vidimus. Notandum enim est hos graecismos tunc primum apud eos poetas occurrere, qui graecis litteris imbuti graecisque exemplaribus informati latinam linguam graecorum imitatione exornare et quasi reficere studuerunt.

Ad graecam syntaxim etiam referenda sunt apud Vergilium: A. X, 441 « tempus *desistere pugnae.* » (graece : ἀφιστᾶσθαι τῆς μάχης).

Apud Horatium frequentior usus : Od. II, 9, 17 « *Desine* mollium tandem *querelarum.* » III, 17, 16 « Cum famulis *operum solutis* » (ἀπολύειν cum gen.) III, 27, 69 « *abstineto irarum.* » II, 13, 38 « *laborum decipitur*, » etc.

Huc pertinet genetivus exclamationis, cuius nullum apud Vergilium exemplum invenitur, sed singulare hoc apud Propertium V, 72 « *Foederis* heu ! taciti ! » graece : οἵ μοι τῶν σπονδῶν !

CAP. IV

DE DATIVO

Dativus largiori sensu rem vel personam indicat « quae tangitur actione verbi ad finem perducta, ita ut actio vim in illud obiectum habeat, diversum tamen ab ea quam in accusativo deprehendimus. » (Holtze, Syntaxis priscor. lat. script. I, p. 291). Ea est igitur primitiva dativi notio : dativus est casus obiecti, quodcumque positum extra processum actionis, tangitur tamen ab ea finita. Madvigius paulo tamen artiorem eius casus notionem in sua grammatica latina constituit. Docet enim « dativum generali sensu acceptum indicare id, quod praedicato enuntiatur, propter quamdam rem aut personam accidere vel fieri, atque eius personae vel rei commodum spectare. » E. I, 34 « Quamvis ingratae premeretur caseus *urbi*. » A. III, 297 « Patrio Andromachen cessisse *marito*. » V, 398 « Si *mihi* nunc foret illa iuventas. » E. V, 32 « Vitis ut *arboribus decori* est » etc.

Zumptius ita casum definit : Dativus est casus relationis, vel, si cum accusativo comparetur, casus remotioris obiecti. Ut enim accusativus effectum actionis, vel obiectum quod directe actio tangit et complectitur, ita dativus illud indicat obiectum remotius, cuius causa vel studio subiectum aliquid agit vel patitur.

Addam ego obiectum dativo expressum tanquam activum

concipi posse, quod contra actionem subiecti incedit, vel tanquam activa persona quae est actionis particeps.

Respondet ad quaestionem *Cui ? quem ad finem ?*

Generali dativi notione satis definita, iam ad singula eius casus genera apud Vergilium explicanda accedamus.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS

§ 1. — Dativus commodi [1].

1. — *Dativus personae cui actio prodest aut nocet.*

Dativus indicat actionem subiecti eum finem habere ut alicui personae vel rei prosit vel noceat, et vocatur a grammaticis dativus *commodi* vel *incommodi*. Qui cum non solum a poetis, sed etiam ab omnibus prosae orationis scriptoribus simili fere modo usurpetur, pauca tantum ex Vergilio afferenda esse existimo, atque ea potissimum in quibus noster poeta paulo liberius ea uti constructione videtur.

E. I, 34 « Quamvis ingratae premeretur caseus *urbi*. » 72 « *his* nos consevimus agros. » III, 41 « descripsit radio totum qui *gentibus* orbem. » 85 « Pierides, vitulam *lectori* pascite *vestro*.» V, 72 « Cantabunt *mihi* Damoetas et Lyctius Aegon. » VIII, 30 « *tibi* ducitur uxor, *tibi* deserit Hesperus Aetam. » X, 629 « laudavit carmina *nobis*. » XI, 50 « quamvis *collo* timuisset aratrum. » Cf. A. II, 130 » Et quae *sibi* quisque timebat. » 729 « Et pariter *comitique onerique* timentem. » G. I, 186 « *inopi* metuens formica *senectae*. » II, 331 « Superat tener *omnibus* humor. » II, 141. « Haec loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere *satis* immanis *dentibus* hydri. » III, 71 « Subolem *armento* sortire quotannis. » 408

(1) In eo capite de dativo optima professoris Dittel de ea re disputatio magnae mihi fuit utilitati : eumdem ordinem secutus sum, atque exempla, quae collegit, huc transtuli, paucas tantum adiciens admadversiones.

« Nunquam custodibus illis Nocturnum *stabulis* furem horrebis. » 347 « *Hosti* Ante exspectatum positis stat in agmine castris. » (= obstat hosti). IV, 449 « *Lapsis* quaesitum oracula *rebus*. » 454 « *Tibi* has poenas suscitat Orpheus. » II, 535 « Septem una *sibi* muro circumdedit arces. » III, 174 « *pubi indomitae* non gramina tantum, — Sed frumenta manu carpes sata. » IV, 8 « Principio sedes *apibus* statioque petenda. » A. IX, 278 « Nulla *meis* sine te quaeretur gloria *rebus*.» I, 233 « *quibus* cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.» 618 « Quem *Anchisae* Venus genuit. » 632 « *Templis* indicit honorem. » III, 62 « Instauramus *Polydoro* funus. » IV, 24 « Sed *mihi* vel tellus optem prius ima dehiscat. » 421 « *Miserae* hoc unum exsequere *mihi*. » V, 111 « palmae pretium *victoribus* locatur. » 359 « risit pater optimus *olli*. » VI, 764 « quem *tibi longaevo* serum Lavinia coniux Educet.» VII, 367 « Si gener externa petitur de gente *Latinis*. » Sunt qui *Latinis* ablat. esse volunt pro *a Lat.* ; sed cum Benoisto censeo *Lat.* dat. esse commodi. VII, 410 « urbem fundare *colonis*. » VIII, 434 « *Marti* currum rotasque instabant. » IX, 237 « locum *insidiis* conspeximus ipsi. » X, 467 « Stat sua *cuique* dies. » XI, 657 « quas ipsa decus *sibi* dia Camilla Delegit. » XII, 73 « Neque enim *Turno* mora libera mortis.» etc.

Nota XI, 179 « *Meritis* vacat hic *tibi* solus *Fortunae*que locus, » ubi *meritis fortunae*que sunt epexegetice *tibi* adiuncti, ad graecorum poetarum, Homeri scilicet, imitationem. Cf. Iliad. V, 125 ἐν γάρ τοι στήθεσσι μένος πατρώϊον.

Saepe incertum est utrum dativus acquisitionis (commodi) an ablativus loci habendus sit, cum eadem sit utriusque casus forma pluralis ; v. g. G. II, 110 « *Fluminibus* salices crassisque *paludibus* orni. » Ego quidem cum Ladewigio censeo *flumin.* et *palud.* dativos commodi esse.

Notandus est dativi usus cum verbis separandi *arcere, defendere, depellere*, quae cum accusativo personae et ablativo

rei construi solent : *arcere aliquid ab aliquo*. Vergilius vero sic construit cum dativo personae E. VII, 47 « Solstitium *pecori defendite*. » G. III, 155 « Hunc quoque — *arcebis gravido pecori*. » A. V, 726 « *classibus* ignem *depulit*. » Cf. Ruddimann, I, p. 110; Ovid. Heroid. XIV, 130 « quam mortem *fratri depulit*, ipsa tulit. »

2. — *Dativus personae ad cuius honorem.*

Dativus indicat personam *ad cuius honorem* aliquid fit. E. I, 42 « *Cui* nostra altaria fumant. » V, 68 « Pocula bina quotannis Craterasque duos statuam *tibi*. » A. III, 63 « Stant *Manibus* arae. » 279 « Lustramurque *Iovi* votisque incendimus aras. » VI, 252 « *Stygio regi* nocturnas incohat aras. » E. VI, 66 « Utque *viro* Phoebi chorus adsurrexerit omnis. » Ad quem locum Wagnerus : « Quod omnes Musas Gallo adsurrexisse ait, honoris testificatio est, non tam ex suae aetatis elegantia a poeta illata, quam aevo iam heroico frequentata. Sic Iovi venienti assurgunt dii Iliad. I, 535, sqq. θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸς ἐναντίον. G. II, 98 « Sunt et Aminnaeae vites, firmissima vina, Tmolus et adsurgit *quibus*. » G. I, 349 « *Cereri* det motus et carmina dicat. » II, 174 « *Tibi* res antiquae laudis et artis Ingredior. » 380 « *Baccho* caper caeditur. » A. I, 334 « Multa *tibi* ante aras nostra cadet hostia dextra. » III, 21 « Caelicolum *regi* mactabam in litore taurum. » VI, 859 « Arma *patri* suspendet capta *Quirino*. » XI, 786 « *Cui* pineus ardor acervo Pascitur. » G. III, 18 « *illi* victor ego — centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

3. — *Dativus iudicantis.*

Dativus iterum illum indicat, cuius opinione vel iudicio praedicatum enuntiatur, id est, personam quae iudicat rem ita se habere, ut praedicato enuntiatur. Qui *dativus iudicantis* vocari possit.

E. I, 7 « Namque erit ille *mihi* semper deus. » II, 44 « Sordent *tibi* munera nostra. » V, 45 sqq. « Tale tuum *nobis* carmen, divine poeta, Quale sopor *fessis* in gramine. » VII, 43 « Si *mihi* non haec lux toto iam longior anno est. » G. I, 299 « Hiems ignava *colono*. » 443 « Suspecti *tibi* sint imbres. » 491 « Nec fuit indignum *superis* bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos. » A. III, 453 « Hic *tibi* ne qua morae fuerint dispendia tanti. » VI, 526 « Scilicet id magnum sperans fore munus *amanti*. » VII, 266 « pars *mihi* pacis erit dextram tetigisse tyranni. » X, 254 « Tu *mihi* nunc pugnae princeps. » XI, 416 « Ille *mihi* ante alios fortunatus laborum. » XII, 767 « *Nautis* olim venerabile lignum. »

4. — *Dativus personae rem considerantis.*

Dativus commodi indicat personam cuius ratio, status et condicio respectanda est, ut id verum sit, quod praedicato enuntiatur. Illa quidem personae rem considerantis condicio vel status saepe exprimitur per participium praesentis aut perfecti, praesertim si de loco agitur.

E. IX, 59 « *Hinc* adeo media est *nobis* via, namque sepulcrum Incipit apparere Bianoris. » G. I, 242 « *Hic* vertex *nobis* semper sublimis. » Iungendum est : *hic nobis*, graece ἡμῖν ἐνθάδ' οὖσιν. A. I, 266 « Terna transierint *Rutulis* hiberna *subactis*; » ubi noli *Rut. sub.* pro ablativo absoluto habere;

est potius arte cum *transierint* coniungendus et graeco more usurpatus pro : ex quo Rutuli subacti erunt. Cf. Iuv. IX, 10 « Cum septimus annus Transierit *puero.* » (Forbig.) Sic et Benoistus interpretatur, et transfert gallice : « Jusqu'à ce que trois hivers se soient écoulés pour les Rutulus soumis. C'est un hellénisme. Cf. Démosthène, In Mid. 24 Μαρτυρῶυμεν ἤδη τῇ κρίσει ἐκείνῃ διαγεγόνοτα ἔτη ὀκτω. » A. II, 713 « Est urbe *egressis* tumulus templumque vetustum Cereris » (= illi qui ex urbe egrediuntur, simul ut egrediuntur, templum adspiciunt.) Cf. Liv. I, 8, 5 « locum, qui nunc saeptus *descendentibus* inter duos lucos est, asylum aperit. » Caes. B. C. III, 80 « Gomphi est oppidum primum Thessaliae *venientibus* ab Epiro » (= illis qui ab Epiro veniunt primum Gomphi opp. occurrit.) Cf. Thucyd. I, 24 Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον. A. I, 102 « Talia *iactanti* stridens Aquilone procella Velum adversa ferit » (= dum talia iactaret.) VI, 46 « *Cui talia fanti* ante fores subito non vultus, non color unus, Non comptae monsere comae. » VIII, 212 « *Quaerenti* nulla ad speluncam signa ferebant. » XI, 551 « Omnia secum *versanti* subito vix haec sententia sedit. » Cf. Herod. II, 29 « ἀπὸ Ἐλεφαντίνης πόλιος ἄνω ἴοντι ανανπές ἐστι χωρίον. »

Apud Ciceronem et Sallustium et antiquos scriptores nullum huius dativi usus exemplum invenias, qui primum apud Caesarem *bis* occurrit : B. C. III, 80, 1, (supra citatum) et B. G. VI, 25, 1 « Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter *expedito* patet. » Cf. Herod. I, 72 μῆκος ὁδοῦ εὐζώνῳ ἀνδρί πέντε ἡμέραι ἀναισιμοῦνται. Tac. Hist. IV, 17 « Verereque *reputantibus* Gallias suismet viribus concidisse. » Id. Agr. 10 « Sed *transgressis* immensum spatium — in cuneum tenuatur. » Liv. XXVI, 26, 2 « Sita Anticyra est in Locride laeva parte sinum Corinthiacum *intranti.* » XXXII, 4, 3 « Thaumaci a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam *eunti* loco alto siti sunt in ipsis faucibus. » VII, 10 « duo milites nequaquam visu ac specie *aestimantibus* pares. »

Dativus ille quoddam dativi absoluti genus esse videtur, quod quidem censet Draegerus (Ueber syntax und stil des Tacitus). Item et Ruperti (Index latinitatis), Boetticher (Lexicon Taciteum) hunc dativi usum eadem ratione interpretantur. Attamen facile intellegitur hoc ad generalem dativi significationem posse referri, qua aliquid fit vel accidit habito ad personam aliquam respectu, atque ergo pro dativo commodi habendum esse.

5. — *Dativus indicans relationem alicuius cum aliquo.*

Tum dativus cum verbo *esse*, cui praedicativum nomen subiungitur, vel in alia simili constructione adhibitus, designat in qua relatione persona cum alia sit. Cf. Madvig. § 241, nº 4; Krüger, § 364. E. V, 21 « Vos coryli testes et flumina *nymphis*. » A. II, 704 « Nec *tibi* comes ire recuso. » 711 « *Mihi* parvus Iulus sit comes. » V, 712 « hunc cape *consiliis* socium. » 789 « Ipse *mihi* nuper Libycis tu testis in undis. » VII, 176 « Esto nunc sol testis et haec *mihi* terra *vocanti*. » VI, 158 « *Cui* fidus Achates It comes. » VII, 48 « *Fauno* Picus pater. » 649 « filius *huic* iuxta Lausus. » X, 112 « Rex Iuppiter *omnibus* idem. » XI, 31 « Qui *Parrhasio Evandro* armigerante fuit. » 542 — XII, 881.

6. — *Dativus dynamicus vel energicus.*

Dativus commodi cum remotiori et minus certa significatione adhibetur ad personam designandam vel quae agit ipsa, vel quae actioni verbi aliquo modo interest, et quae pro logico subiecto enuntiationis haberi possit. Dativus hic igitur ad totam enuntiationem refertur, et locum tenet genetivi vel

praepositionis cum substantivo ; Holtze (Synt. prisc. lat. I, p. 296) eum vocat dativum personae *cui studium est*. Alii grammatici eum vocant dativum *energicum* vel *dynamicum*. Est apud Vergilium frequentissimus et interdum liberrime constructus et ita ad poetici sermonis ingenium accommodatus, ut nunquam fere genetivus adhibeatur.

Dativus pronominis personalis sic loco possessivi saepe elegantius usurpatur. E. I, 35 « Non unquam gravis aere domum *mihi* dextra redibat. » III, 72 « Nescio quis teneros oculus *mihi* fascinat agnos. ». VII, 7, 9 « Huc *mihi* caper deerraverat. » X, 33 « O *mihi* tum quam molliter ossa quiescant ! » G. I, 343 « Cuncta *tibi* Cererem pubes agrestis adoret. » 298 « Neve *tibi* ad solem vergant vineta cadentem. » III, 177 « Nec *tibi* fetae nivea implebunt mulctaria vaccae. » A. I, 327 « Namque haud *tibi* vultus mortalis, nec vox hominem sonat. » III, 194 « Tum *mihi* caeruleus supra caput adstitit imber. » IV, 15 « si *mihi* non animo fixum immotumque sederet. » V, 123 « genus unde *tibi*. » VI, 139 « iacet exanimum *tibi* corpus amici. » 344 « *mihi* animum delusit Apollo. » 458 « Funeris heu ! *tibi* causa fui. » VII, 44 « Maior rerum *mihi* nascitur ordo. » VIII, 160 « Tum *mihi* prima genas vestibat flore iuventas. » VII, 401 « Si qua *piis animis* manet infelicis Amatae gratia. »

Genetivus tamen A. I, 437 « *Quorum* iam moenia surgunt. » III, 150 « Penates visi ante oculos adstare *iacentis*. » X, 187 « *Cuius* olorinae surgunt de vertice pennae. »

In sequentibus locis dativus est proprie energicus : G. I, 80 « Sive *illis* omne per ignem Excoquitur vitium. » II, 206 « Plura domum tardis decedere plaustra *iuvencis*. » III, 66 « Optima quaeque dies *miseris mortalibus* aevi Prima fugit. » « Fugit *miseros mortales* » significaret : iuventus fugit mortales, qui eam nunquam attingere possunt, ne in eorum potestatem veniat. A. VIII, 163 « *mihi* mens iuvenali ardebat amore. » E. X, 73 « Cuius amor *mihi* crescit in horas. »

Cum verbis motum animi designantibus haec dativi constructio fere semper adhibetur.

G. III, 258 « Quid iuvenis, magnum *cui* versat in ossibus ignem Durus amor? » A. I, 11 « Tantaene *animis caelestibus* irae! » V, 172 « Tum vero exarsit iuveni dolor *ossibus* ingens. » *Ossibus* dativus per appositionem *iuveni* additur ad sententiam strictius definiendam. Hanc constructionem, quae graece vocatur κατ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος, iam vidimus A. XII, 276, ubi duo accusativi eadem ratione per appositionem construuntur: « hasta *iuvenem* transadigit *costas*. »

VIII, 279 « Hic vero *Alcidae* furiis exarserat atro Felle dolor. » V, 183 « Hic laeta *extremis* spes est accensa *duobus*.» X, 814 « Saevae iam altius irae *Dardanio* surgunt *ductori*. » XI, 733 « Quae tanta *animis* ignavia venit? » XII, 9 « Haud secus accenso gliscit violentia *Turno*. » 453 « miseris praescia longe Horrescunt corda *agricolis*. » E. VII, 26 « Rumpantur ut ilia *Codro*. » G. III, 505 « *Moranti* artus sacer ignis edebat. » A. III, 29 « *Mihi* frigidus horror Membra quatit gelidusque coit formidine sanguis. » 259 « *Sociis* subita gelidus formidine sanguis Deriguit. » VI, 54 « gelidus *Teucris* per dura cucurrit Ossa tremor. » X, 452 « Frigidus *Arcadibus* coit in praecordia sanguis. » XI, 381 « Verba, quae *tuto tibi* magna volant. » 537 « Neque novus iste *Dianae* Venit amor subitaque animum dulcedine movit. »

Dativus denique non raro invenitur appositioni additus ad rem vel personam designandam, ad cuius utilitatem res aut status reducitur. G. III, 313 « Miseris velamina *nautis*. » IV, 421 « Est specus ingens, deprensis olim statio tutissima *nautis*. » A. I, 429 « Columnas excidunt, *scaenis* decora alta *futuris*. » III, 305 « Geminas, causam *lacrimis*, sacraverat aras. » V, 367 « Ensem atque insignem galeam solacia *victo*. » VI, 75 « foliis ne carmina manda, ne turbata volent rapidis ludibria *ventis*. » VII, 637 « It *bello* tessera signum. » X, 542, « Arma Serestus refert, *tibi*, Rex gradive, tropaeum. »

G. II, 60 « Turpes *avibus* praedam fert uva racemos. » IV, 17 « Ipsas volantes ore ferunt *nidis immitibus* escam. »

Cf. Cato, Orat. pro Rhodiensibus, apud Gell. VII, 3 « Scio solere *plerisque hominibus* in rebus secundis — animum excellere atque superbiam augescere atque crescere. » Lucr. II, 443 « Quapropter longe formas distare necesse est *principiis*. » I, 88 « *quoi* simul infula profusa est. » 134 « Et quae res, nobis vigilantibus obvia, mentes Terrificet morbo *affectis* somnoque *sepultis*. » Catul. 63, 37 « Piger *his* labantes languore oculos sopor operit. » 64, 38 « mollescunt colla *iuvencis*. » Tibul. I, 4, 4 « Non *tibi* barba nitet, non tibi culta coma est » (= tua barba). Prop. I, 16, 8 « *Exclusis* signa iacere faces » (= signa quae testentur aliquos homines exclusos fuisse). III, 7, 47 « Non tutit *huic* pectus stridorem audire procellae. » Ovid. Ars Am. III, 425 « Semper *tibi* pendeat hamus. » Hor. Od. II, 1, 13 « Insigne *moestis* praesidium. » Livius VIII, 4, 5 dativus genetivi loco : « quippe concedentibus Romam caput *Latio* esse. » XXIII, 10, 2 « Caput *Italiae omni* Capuam fore. » I, 45, 4 « fixa per multas aetates cornua in vestibulo templi Dianae monumentum *ei* fuere *miraculo*. » VII, 1, 6 « Collega *consulibus*. » Plaut. Poen. V, 4, 74 « pro hoc *mihi* patronus sim necesse est. » Mil. gl. II, 2, 118 « Nam illic est *Philocomasio* custos, meus conservus. »

Cato R. R. c. 5 « frondem condito — pabulum *ovibus*. » c. 10 « ornamenta *bobus*. »

§ 2. — Dativus possessionis.

1. Cum verbo *esse*.

Dativus cum verbo *esse* construitur ad possessionem exprimendam. Res quae habetur in nominativo ut subiectum verbi *esse*, persona quae habet in dativo ponitur. Haec constructio,

omnibus omnium aetatum scriptoribus usitata, fere sola a poetis usurpatur. *Habere* fere nunquam ad possessionem exprimendam adhibetur.

Non eadem est tamen omnino genetivi et dativi significatio: genetivus *possessorem*, dativus *rem possessam* potius exprimit.

Neque solum ad veram possessionem exprimendam haec dativi constructio valet, sed etiam metaphorico sensu frequens a poetis adhibetur ad mentis affectus, aut corporis et animi qualitates virtutesque, vel denique etiam interiores relationes indicandas.

E. I, 80 « Sunt *nobis* mitia poma. » V, 74 « Haec *tibi* semper erunt. » G. IV, 128 « *Cui* pauca relicti Iugera ruris erant. » A. VI, 673 « Monstrum *cui* quot sunt corpore plumae, Tot vigiles occuli. » 625 « Non, *mihi* si linguae centum sint oraque centum. » X, 527 « Sunt auri pondera facti infectique *mihi*. V, 336 « Di, *quibus* imperium est pelagi. » A. II, 710 « Una salus *ambobus* erit. » IX, 182 « *His* amor unus erat. » I, 336 « *Virginibus Tyriis* mos est gestare pharetram. » VII, 38 « Qui *Latio* antiquo fuerit status. » E. II, 42 « Honos erit *huic* quoque *pomo*. » A. V, 353 « Si tanta sunt praemia *victis*. » III, 141 « Ecqua tamen *puero* est amissae cura parentis. » X, 715 « Non *ulli* est animus stricto concurrere ferro. » A. V. 398 « Si *mihi* nunc foret illa iuventas. » G. II, 178 « Quae robora *cuique*, quis color, et quae sit rebus natura ferendis. » G. III, 54 « Tum longo nullus *lateri* modus. »

Tum verbum *esse* omittitur A. VIII, 104 « *Huic* filius una » (= filius huius). Servius, Wagnerus, Forbigerus explicant : huic una = una cum hoc. Benoisto magis placet *huic filius* = eius fil. VIII, 718 « Omnibus in templis matrum chorus, *omnibus* arae. » (= Vulcanus arte sua ante templa aras caelaverat, ita ut cuique templo sua sit ara). Hic de aris agitur, in quibus hostiarum viscera torrebantur et quae reipsa tunc ante templa stabant.

Habere tamen invenitur E. II, 38 « Te nunc *habet* ista secundum. » G. IV, 35 « Angustos *habeant* aditus. » A. II, 584 « Nec *habet* victoria laudem. » XI, 374 « Si qua tibi vis, si quid Martis *habes*. » VII, 689 « Galeros Tegmen *habent* capiti. » XI, 308 « Spem si quam adscitis Aetolum *habuistis* in armis. » *Habere* = *tenere*: A. III, 147 « Terris animalia sommus *habebat*. » VI, 670 « Quae regio Anchisen, quis *habet* locus ? » 521 « Tum me — infelix *habuit* thalamus. »

Dativus, cum qualitatem vel affectum animi indicat, ut facile apparet, non possessionis, sed, ut iam diximus, energicus rectius vocari possit, scilicet personam indicans ad quam actio verbi pertinet, et quae non solum passive, sed etiam active eius actionis est particeps. Locutio enim saepe ita converti potest ut nomen in dativo fiat subiectum verbi ex nomine subiecto derivati, sic, v. g. *Mos est virginibus tyriis* = *virgines tyr. solent*. *Omnibus* idem *animus* scelerata excedere terra = *omnes censent* excedendum esse.

Nomen est : G. III, 147 « *Cui* nomen *asilo* Romanum est. » Hinc sumam occasionem pauca de dativo dicendi qui per attractionem post *nomen est*, *datur*, *licet* ceteraque eiusmodi ponitur. Post *nomen est*, nomen ipsum sive per appositionem eodem casu nominativo ponitur : A. VIII, 538 « Illi fuerat *Saturnia* nomen » (Cf. Cic. Tusc. IV, 11 « ei morbo nomen est *avaritia* ») ; sive, et id quidem usitatius, in dativo per attractionem : G. III, 147 « *Cui* nomen *asilo* Romanum est. » A. IX, 593 « *Cui Romulo* cognomen erat. » A. I, 267 « At puer Ascanius, *cui* nunc cognomen *Iulo* Additur. » G. IV, 271 « Est etiam flos in pratis *cui* nomen *amello* Fecere agricolae. » Cf. Sall. Iug. 5 « Scipio, *cui* postea *Africano* cognomen fuit. » Liv. III, 57 «Leges decemvirales, *quibus tabulis* duodecim est nomen. »

Apud Vergilium invenitur etiam, sed rarius, personae nomen per appositionem in accusativo post *nomen dare*, *fingere*, *indicere*, etc. A. III, 18 » *Aeneadas*que meo *nomen* de nomine

fingo. » III, 693 « *Nomen dixere* priores *Ortygiam.* » VII, 63 *Laurentes*que ab ea *nomen posuisse* colonis. » G. I, 138 « Navita tum stellis numeros et nomina fecit, *Pleiadas, Hyadas*, claramque Lycaonis *Arcton.* » Cf. Liv. I, 1, 11 « Cui *Ascanium nomen* parentes *dixere.* »

Genetivus etiam invenitur Plaut. Amph. Prol. 19 « *Nomen Mercuri* est mihi. » Sed propria et germana Latinorum constructio est dativus.

Post *licet* cum verbo infinito dativum vel accusativum praedicati Latini construere solent. Ceterum unus est locus Vergilii, ubi hoc verbum *licet* in eiusmodi enuntiatione occurrit, neque auctores consentuint, cum alii accusativum, alii dativum volunt: A. X, 47 « *Liceat* dimittere ab armis Incolumem Ascanium, *liceat* superesse *nepotem.* » Heinsius coniectura censet *nepoti ;* Forbigerus hanc Wagneri adnotationem refert : « Non est idem *liceat nepoti* et *nepotem* superesse : illud valet: da hoc nepoti ut supersit, hoc contra : da hoc mihi, ut supersit nepos, eamque sententiam requirit hic locus. » Cf. Zumpt § 601 ; Krüger, Lat. Gram. § 482 ; Madv. § 393-389. Quod autem ad verbi infiniti subiectum attinet, vel in dativo vel etiam in accusativo ponitur: « *licet Themistocli* esse *otiosum.* » vel *otioso.* » et « *licet Themistoclem* esse *otiosum.* » Omnia Vergilii exempla dativum habent : E. VIII, 9 « *liceat mihi* totum ferre per orbem tua carmina. » A. IX, 139 « Nec solis *licet* capere arma *Mycenis.* « A. X, 317 « *Tibi* casus evadere ferri Quod *licuit parvo.* » XII, 786 « Quod Venus *audaci Nymphae* indignata *licere.* »

Cf. Hor. S. I, 2, 51 « At hic si qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste *munifico* esse *licet.* » S. I, 1, 19 « Atqui *licet* esse *beatis.* »

Ad hanc attractionis speciem referri potest A. XI, 105 « Parceret *hospitibus* quondam *socerisque vocatis.* » Haec attractio praedicati post particip. perf. solum in nominat. et acc. fieri solet, rarior in constructione ablat. absol., rarissima

autem cum dativo, ut hic et Suet. Octav. 17 « remisit tamen *(Antonio) hosti iudicato* necessitudines amicosque omnes. »

§ 3. — Dativus acquisitionis.

Dativus cum multis verbis coniungitur quae per se ipsa indicant aliquid fieri propter aliquem. Multa verba transitiva actionem significant, quae praeter obiectum proximum, quod in accusativo ponitur, ad aliam rem aut personam, tanquam ad ultimum finem tendit. Hic quidem dativus, dativo commodi et possessionis valde assimilis, *dativus acquisitionis* vocari potest, quippe qui indicet eum esse verbi effectum ut persona aut res, quae est in dativo, aliquid acquirat vel contra amittat.

1. — *Dativus acquisitionis post verba transitiva.*

Primum verbis *transitivis* quae generalem *dandi* aut *negandi* significationem habent, subiungitur. Cum vero Vergilius ab ceteris scriptoribus quoad illum dativi usum non discrepet, plane inutile videtur exempla proferre.

Nota tamen sequentes locos, ubi verba notionem *dandi* metaphoricam continent : G. II, 41 « *Pelago dare* vela patenti. » A. III, 9 « *fatis dare* vela. » 61 « *Dare classibus* austros. » — *Neci, morti, leto* dare : G, III, 480 « Genus omme *Neci* pecudum *dedit*. » IV, 90 « Eum — *dede Neci*. » A. V. 806 « Milia multa *daret leto*. » XI, 172 « Quos *dat* tua dextera *leto*. » XII, 328 « Multa virum volitans *dat* fortia corpora *Leto*. » 341, 655 id.

Aliae sunt etiam eiusdem verbi *dare* apud Vergilium signi-

ficationes : *dare* = *mittere* A. II, 566 « Corpora saltu ad terram misere, aut *ignibus* aegra *dedere.* » XI, 565 « *dat* sese *fluvio.* » — Notitia denique dignum est *dare* positum pro *dicere*, *narrare*, quod interdum etiam apud prosaicos scriptores usu venit. E. I, 18 « Iste deus qui sit, *da*, Tityre, *nobis.*» A. VIII, 194 « Haec *ingressis* placide prior *edidit* ore. » Eadem metaphorica significatione *accipere* pro *audire* usurpatur.

Quanquam res ad infinitivi usum potius pertinet, id tamen notandum hic esse existimo, saepe Vergilium verbo *dare* infinitivum addere, quo accuratius definiatur ad quem usum et finem aliquid detur alicui. A. I, 15 « *Tibi multare dedit* fluctus et tollere vento. » V, 536, sqq. « Cratera *Anchisae* genitori in magno munere Cisseus *Ferre* sui *dederat* monumentum et pignus amoris. » Iungendum est : *dederat cratera ferre ;* nam verum verbi obiectum est *cratera*, cui per hellenismum *ferre* pro *ferendum* subiungitur. Cf. ἔδωκά σοι ταύτην τὴν γῆν γεωργεῖν. Gallice etiam dicimus : « il lui avait donné une coupe à emporter. » Non eadem est infinitivi et gerundivi significatio. Per gerundivum enim significatur actionem verbi a quo derivatur praecipuum esse dantis propositum : « dedit cratera *ferendum* » = dedit ut ferretur ; « dedit cratera *ferre* » = dedit cratera, quem ille qui acceperat poterat secum ferre. A. IX, 362 « Ille suo moriens *dat* (sc. cingula) *habere nepoti.* » V. 261 « Loricam *donat habere viro* decus et tutamen in armis. » X, 701 « Armaque *Lauso* donat *habere* umeris. » XII, 211 « Sceptrum *patribus* dedit *gestare Latinis.* »

Cetera verba transitiva cum dativo personae acquirentis apud Verg. constructa enumerare sit satis : *reddere, tradere, ferre, referre, portare, deferre, efferre, perferre, spargere*, (somnos *hydris* A. VII, 753) — *mandare, credere, mittere, remittere, demittere, concedere, promittere, polliceri, spondere*, (*vota facere, sacrare, devovere, vovere, destinare,*

ministrare, fundere, solvere, persolvere, debere, minari; — rapere, auferre, furari, dicere aliaque eiusdem significationis : *dictis expedire, fateri, memorare*, etc., — *ostendere, monstrare.*

Dativus etiam ponitur post compositas locutiones quae ad notionem dandi vel negandi referri possunt : *insidias meditari cui* E. V, 60 ; *moliri insidias*, G. I, 271 ; *moram facere cui* E. X, 11 ; *ponere modum* A, VIII, 129 ; *dare locum* ibid. 676, etc.

Quaedam huius generis verba duplicem constructionem admittunt :

Minari semel invenitur cum ablativo rei pro accusativo G. II, 457 « Magno Hylaeum *Lapithis cratere minantem.* » Ceteris in locis solita constructio (persona in dativo, res in accusativo) servatur. A. X, 196 « *Saxum*que *undis* immane *minatur.* » XI, 348 « licet *arma mihi mortem*que *minatur.* » X, 900 « quid increpitas *mortem*que *minaris ?* » X, 810 « Et Lausum increpitat *Lauso*que *minatur.* »

Spargere : *alqd aliqua re ; spargere* (= conspergere) primum a Vergilio usurpatur. E. V, 40 « Spargite *humum foliis.* » E. V, 7 « *Antrum* silvestris raris sparsit labrusca *racemis.* » E. VIII, 20 « quis *humum* florentibus *herbis* spargeret. » A. VII, 191 « Fecit avem Circe sparsitque *coloribus alas.* » *Spargere alqd alicui* A, VII, 753 « *Vipereo generi* et graviter spirantibus *hydris Spargere* qui *somnos* cantuque manuque solebat. »

Circumdare alqd alicui : E. VIII, 73 « Terna *tibi* haec — *licia circumdo.* » A. II, 218 « Bis *collo* squamea *circum Terga dati.* » 510 « *Arma* — senior *circumdat umeris.* » 792 « ter conatus ibi *circumdare brachia collo.* » VIII, 458 « Et Tyrrhena pedum *circumdat vincula plantis.* » XII, 88 « Circumdat *loricam umeris.* » — *Circumdare alquem aliqua re* E. VI, 62 « Tum *Phaetontiadas musco circumdat* amarae corticis. » G. I, 140 « Magnos *canibus circumdare saltus.* »

IV, 497 « Feror ingenti *circumdata nocte.* » A. VI, 207 « Croceo *fetu* teretes *circumdare truncos.* » 783 « Septem una tibi *muro circumdabit arces* » (cf. G. II, 535). XI, 596 « Insonuit nigro *circumdata turbine corpus.* » A. I, 368; IX, 153; X, 74; IX, 462; XII, 416; VI, 549; G. III, 487; IV, 497, etc.

Nota A. VI, 299 « *circumferre* per analogiam eodem modo atque circumdare construitur : « ter *socios* pura *circumtulit unda. Ambire* A. X, 243 « *Oras ambiit auro.* »

Donare alicui aliquid E. III, 14 « *quae* tu cum vidisti *puero donata.* » A. V. 261 « *loricam donat* habere *viro.* » IX, 313 « aurae omnia (mandata) discerpunt et *nubibus irrita donant.* » X, 701 « *Arma Lauso donat* habere umeris. » Per analogiam cum donare *damnare* eodem modo construitur A. IV, 699 « Nondum Proserpina *caput* Stygio *damnaverat Orco*; » quae constructio apud solos poetas invenitur.—*Donare aliquem aliqua re* (ablat. instrumenti) A. V, 282 « *Sergestum* Aeneas promisso *munere donat.* » 361 « Hoc *iuvenem* egregium praestanti *munere donat.* » 268 « Iamque adeo *donati* omnes. » E. V, 85 « *donabimus te cicuta* fragili. » In constructione « *donare alqd alicui* » persona in dativo tanquam activa concipitur : loricam donat viro, ut vir illam accipiat; in *donare aliquem aliqua re*, persona in accusativo potius tanquam passiva concipitur: patitur aliquid sibi dari. Non tamen asseram Vergilium hanc sensus differentiam semper in animo habuisse.

Induere aliqd alicui semel A. XI, 76 « Harum *unam* (sc. vestem) *iuveni induit.* » Huc pertinet tamen A. II, 393 « *Induitur galeam* etc. = induit *sibi galeam.* Cf. II, 275 « *Exuvias indutus* Achilli. » XI, 487 » rutilum *thoraca indutus.* » — *Induere aliqd* (sine dativo) G. III, 363 « vestesque rigescunt *indutae.* » A. I, 684 « Notos pueri puer *indue vultus.* » VII, 417 « *induit* albos cum vitta *crines.* » Cf. IX, 180. 365; XI, 6. 439; IX, 366; VII, 640. — *Induere aliquem aliqua*

re: A. X, 775 « *Indutum spoliis* ipsum te, Lause. » XII, 948 « Tune hinc *spoliis indute* meorum. » XI, 83 « *Indutos*que iubet truncos hostilibus *armis* ipsos ferre duces. » A. III, 525 « Pater Anchises magnum *cratera corona induit*. » G. IV, 143 « *Pomis se* fertilis arbos *induerat*. » Notandum *induere* cum dativo rei construi posse : *induere se* (*aliquem*) alicui *rei*. Verg. vero A. X, 681 dativi loco ablativum adhibet : « An *sese mucrone* ob tantum dedecus amens *induat* » (= sese in mucronem iaciat). Quidam itaque codd., Vaticanus, Romanus, et a m. pr. Palatinus, habent *mucroni*, quod mihi praeferendum videtur, quamvis non displiceat insolentior constructio ablativi *mucrone*, quam exhibent Mediceus, Palat. a m. secunda, Gudianius, Bernensis. Apud Caes. B. G. VII, 73 « sese ipsi accutisimis *vallis induebant* » incertum est utrum *vallis* dativus an ablat. sit. ; verisimile est tamen dativum esse pro *in vallos*. Cf. ibid. 83. Ovid. Am. II, 10. 31 « *Induat* adversis contraria *pectora telis*. » — *Induere se in* cum accus. G. I, 188 « Cum *se* nux plurima silvis *induet in florem*. » A. VII, 20 « *Induerat* quos Circe *in vultus* ac *terga* ferarum.

Exuere alicui alqd. semel A. IX. 303 « *Umero* simul *exuit ensem*. » Cf. Ov. Met. II, 419 « *Exuit hic umero pharetram*. » — *Exuere alqd* sine dat. A. I, 690 « *Exuit alas*. » V, 420 « Et tu Troianos *exue caestus*. » VII, 416 « Allecto torvam *faciem* et furialia *membra Exuit*. » IV, 319 ; G. II, 51. — *Exuere alquem alqua re* A. V, 422 « Magnos membrorum *artus*, magna *ossa lacertos*que *Exuit* » (sc. caestibus). XI, 395 « *Exutos* Arcadas *armis*. VIII, 567 « Cui omnes abstulit haec animas dextra, (sc. *quem*) totidem *exuit armis*. » IV, 518 « Unum *exuta pedem vinclis*. » II, 153 « *exûtas vinclis* palmas. »

Aptare alqd alicui rei: G. I, 172 « duplici *aptantur dentalia dorso*. » A. VIII, 721 ; IX, 364 ; II, 390 ; X, 131 ; X, 259 « *Animos aptent armis* pugnaeque parent se. » — *Aptare alqd aliqua re* A. III, 472 « *Classem velis aptare* iubebat. » A. VIII,

80 « *Biremes remigio aptat.* » IX, 304 « Ensem — *quem vagina aptarat* eburna. »

Onerare cum dat. eadem significatione atque *imponere* usurpatur A. I, 195 « *Vina* bonus quae deinde *cadis onerarat* Acestes. » VIII, 180 « *Onerant*que *canistris dona* laboratae Cereris. » *Stipare* eodem sensu et constructione A. III, 465 « *Stipat carinis* ingens *argentum.* » Tunc et solita constructio *onerare aliquem aliqua re* A. IV, 549 « Oneras tu *furentem malis.* » G. I, 274 « *Onerat pomis* aselli *costas.* » G. IV, 378 « *Onerant mensas epulis.* » A. I, 363 « *Onerant naves auro.* » A. I, 706 « *Onerant mensas dapibus.* G. IV, 133; A. XI, 212; IX, 24; X, 620, 868; XI, 574; X, 558; G. II, 518.

2. — *Dativus acquisitionis post verba intransitiva.*

Dativus ponitur post verba *intransitiva* quae actionem vel affectum subiecti significant non directe in personam aut rem tendentem, sed tamen aliquid utilitatis vel incommodi illi personae aut rei afferentem, et ideo dativus ille ad generalem dativi commodi notionem est referendus.

Prodesse: A. VII, 302 « quid Syrtes aut Scylla *mihi*, quid vasta Charybdis *Profuit.* » XI, 844; XII, 541.

Obesse: G. I, 373 « Nunquam *imprudentibus* imber *obfuit.* »

Nocere: E. VII, 28 « Ne *vati noceat* mala lingua futuro. » X, 76; G. II, 378; A. VI, 694.

Cedere = *a)* « ad aliquem transire » A. III, 297 « patrio Andromachen *cessisse marito.* » 333 « Reddita *cessit* pars *Heleno.* » XII, 183 « *Cesserit* Ausonio si fors victoria *Turno.* » XII, 17 « *Cedet* Lavinia coniux. » (sc. *illi.*) XI, 321 « Haec omnis regio — *cedat amicitiae* Teucrorum » (= Teucris amicis factis). Benoistus transfert « tombe en partage aux Troyens devenus nos amis. »—*b)* « prospere cedere » A. XII,

148 « Parcae sinebant *cedere* res *Latio.* » — *c)* « recedere, decedere » A. IX, 126 « At non *cessit* fiducia *Turno.* » X, 276 id. ; VIII, 395 « quo *tibi* fiducia *cessit* ? » — *d)* « retro cedere, alicui de via decedere, pedem referre » A. XII, 368 « *Turno*, quacumque viam secat, agmina *cedunt.* » *Decedere* eodem sensu E. VIII, 88 « Nec serae meminit decedere *nocti.*» G. III, 467 id. G. IV, 23 « Vicina invitat *decedere* ripa *calori.* » A. VI, 95 « Tu ne *cede malis.* » — *e)* « ad voluntatem alicuius se accommodare.» E. X, 69 « Omnia vincit Amor, et nos *cedamus Amori.* » A. III, 188 « *Cedamus Phoebo.* » A. V, 467 « *Cede deo.* » — *f)* « inferiorem esse, posthaberi, superari E. V, 16 « Lenta salix quantum pallenti *cedit olivae*, tantum *tibi cedet* Amyntas. » E. VII, 68 « Fraxinus in silvis *cedat sibi.* » A. III, 484 « Andromache fert vestes — Et Phrygiam Ascanio Chlamydem nec *cedit honori.* » Benoistus edidit *honore* cum nota : « ablatif de manière. » Forbigerus adnotat : « Verba quae vulgo eduntur *nec cedit honori* admodum difficilia sunt intellectu. Heynius tamen duplicem eorum explicationem profert, ut aut cum Servio interpretemur « tanta dat munera quanta merebatur Ascanius ; hoc enim est *honori non cedere*, parem esse meritis accipientis ; — aut *non cedit honori*, seu munerum seu verborum quo usus erat Helenus, etc. » Lectionem *honore* Ribbeck recepit ex Palat., Gud. et Bern. Dativum ego et ablativum eumdem sensum habere censeam = tot et tanta munera dat Andromache quanta meretur Ascanius, vel quanta dedit Helenus.

Resistere : G. III, 502 « pellis ad tactum *tractanti* dura *resistit.* »

Favere: E. IV, 10 « Nascenti *puero*—Casta *fave*, Lucina. » G. II, 228. — *indulgere* G. II, 277 « *Indulge ordinibus.* » IV, 198. A. IV, 51. VI, 135. VIII, 512 « Et *generi* fata *indulgent.* » IX, 165. 615. — *Gratari* A. IV, 478 « *gratare sorori.* » *Operari* A. III, 136 « *Conubiis arvis*que novis *operata* iuventus.

Invidere alqd alicui est multo apud Verg. usitatus. E. VII, 58 « Liber pampineas *invidit collibus umbras.* » G. I, 504 « Iampridem *nobis* caeli *te* regia, Caesar, *invidet.* » A. IV, 234 « *Ascanione* pater Romanas *invidet arces* » ? V, 541 ; VIII, 508 ; XI, 43. *Invidere* cum dat. personae sine acc. G. II, 498 « *invidit habenti.* » A. IX, 655 id. Absolute verbum construitur E. I, 11 « Non equidem *invideo.* » E. II, 39 ; A. XI, 269. — Sunt aliae eiusdum verbi apud ceteros scriptores constructiones. Sic, v. g. *invidere alicui in aliqua re* Cic. de Or. II, 56, 228.— *Invidere rei alicuius, invidere alicui aliqua re* apud argenteae aetatis scriptores. Lucan. VII, 798 « *Invidet igne* rogi *miseris.* » Denique apud Hor. S. II, 6, 84 « *invidere alicuius rei,* ad Graecorum imitationem (φθονεῖν τινος).

Consulere apud Verg. semper cum acc., nunquam cum dat. construitur : A. IV, 64 « Spirantia *consulit exta.* » VII, 83 *lucos*que sub alta *Consulit* Albunea. »

Medicari: G. II. 135 « *Senibus medicantur* anhelis. » Cum accus. rei G. I, 193 « *medicare semina.* » A. VII, 756 « *Medicari ictum* cuspidis. »

Parcere: G. II, 339. 363 ; IV, 239; A. I, 257. 526 ; II, 534; III, 41 ; VI, 63, 853 etc... Semel cum accus. rei et dat. personae = reservare alqd alicui A. X, 532 « Argenti atque auri memoras quae multa *talenta Gnatis parce* tuis. » Cf. Cato R. R. 58 « *Oleas parcibo.* » Plaut. Curc. III, 10 « *pecuniam parcere.* » Mil. gl. IV, 6, 5 « *parcere vocem.* »

Placere : E. II, 62 etc. *sedere* eodem sensu cum dat. personae A, 418 « id pio *sedet Aenae.* » VII, 611 « Certa *sedet patribus* sententia pugnae. » A. II, 660 ; IV, 15 « *animo* abl. est. *displicere, imperare, imperitare, edicere.*

Dominari non cum dativo, sed cum abl. loci construitur.

Suadere : E. I, 53 « *Tibi* levi sommum *suadebit* inire susurro. » A. X, 366.

Persuadere, parere, servire, patere, respondere, credere.

Fidere cum instrumentali ablat. construi solet. Vergilius

tamen dat. etiam adhibet: A. VII, 290 « iam *fidere terrae.* » IX, 378 « Celerare fugam in silvas et fidere *nocti.* » XI, 351 « *fugae fidens.* » — Ablat. G. III, 31 « *fidentem*que *fuga* Parthum versisque *sagittis.* » A. X, 345 « *fidus* primaevo *corpore* Clausus. » Dat. an abl. sit incertum A. II, 402 « Heu! nihil invitis fas quemquam *fidere divis.* » V, 800 « Fas omne est, Cytherea, meis te *fidere regnis.* » X, 181 « Astyr *equo fidens* et versicoloribus *armis.* » *Confidere* cum dat. V, 849 « Mene *huic confidere monstro?* » I, 452 « Afflictis *confidere rebus.* » *Diffidere*: dat. an abl. incertum A. III, 51 « Cum *diffideret armis* Dardaniae. » Unde patet Vergilium, sicut et ceteros scriptores, *fidere*, *confidere*, *diffidere* nunc cum dativo, nunc cum ablativo construere. Cf. Draeger, Histor. Synt. § 183, 8.

Deesse: A. VI, 88; G. II, 200; A. VII, 272; X, 378; XII, 643.

Propinquare: A. II, 730 « Iamque *propinquabam portis.* » VI, 410 « Caeruleam advertit pupim *ripae*que *propinquat.* » A. V, 185; IX, 355; VI, 384, 634; VIII, 101; IX, 371; XI, 621. Transitive cum acc., sed alia significatione A. X, 254 « Tu rite *propinques Augurium* » (= fac ut celeriter felicem exitum habeat).

Videri, *contingit*, *accidit*; *libet*, *licet*, *fas est.*

Nota A. II, 348 « Incipio super *his* (= loquor his, hos adloquor); *his* non abl. sed dativus est. Cf. Ov. Met. IX, 280 « *Cui* sic *incipit* Alcmene. » *Loqui* cum dat. apud Pallad. R. R. I. 1 « Multi diserte *rusticis loquuntur.* »

Verba denique *certandi* et *pugnandi* a Vergilio cum dativo construuntur; quod quidem poeticum est et primum apud Catullum occurrit: in prosa oratione praepositionem *cum* et ablat. haec verba adsciscunt. Addas verba quibus inest notio *dissentiendi* et *discrepandi.*

« De ratione huius constructionis, inquit Ebeling (*De casuum usu Horatiano*), haud satis inter grammaticos convenit. Alii enim simplicem Graecorum imitationem in talibus

agnoscunt, alii a natura cum linguae latinae tum casus dativi hunc usum non esse alienum contendunt. Neque iniuria, cum dativus praecipue sit casus relationis. Quanquam non nego etiam Graecorum imitationi in constructionibus eiusmodi explicandis aliquid esse tribuendum. De ratione eius constructionis, qua poetae verbis *pugnandi*, *certandi* similibusque saepe dativum subiciunt, recte monet Dillenburgerus poetas brevitatis et gravitatis studio, ne languida aliqua et molesta opus sit praepositione, dativo favere. » Eadem explicatio de accusativo cum verbis motus omissa praepositione valet. Cf. quae de ea re disseruimus in capite *De accusativo*, § 5. Haec enim Dillenburgeri doctrina cum ea quam de praepositionum origine et usu paucis verbis exposuimus, omnino congruit. Certum est ab origine nullas fuisse praepositiones et ad relationes exprimendas casuum flectiones suffecisse. Nil igitur mirum poetas non modo brevitatis, sed et antiquitatis studio praepositiones, quibus tardatur oratio, omisisse et simplicem dativum praetulisse.

Certare : E. V, 8 « Montibus in nostris solus *tibi certet* Amyntas. » VIII, 54 « *Certent* et *cycnis* ululae. » G. II, 99 « Argitisque minor, *cui* non *certaverit* ulla Aut fluere aut totidem durare per annos. » Hic animadvertam Vergilium Ennium Lucretiumque imitari in verbo *certare* cum sequenti infinitivo construendo. Ea constructio tunc primum a Plinio Curtioque in prosam orationem introducta est. G. II, 138 « *Laudibus* Italiae *certent*. »

Pugnare : A. IV, 38 « placitone etiam *pugnabis amori ?* » A. XI, 600 « equus pressis *pugnat habenis*. »

Contendere : G. II, 96 « Nec *cellis* ideo *contende* Falernis. » *Contendere cum aliquo* A. IV, 108 « Aut *tecum* malit *contendere* bello. » *Contendere contra* A. V, 370 « Solus qui Paridem solitus *contendere contra*. »

Cf. Catul. LXII, 64 « Noli *pugnare duobus*. » Hor. Od. II, 6, 15 « viridique *certat* bacca venafro. » Epod. XI, 18

« Desinet *imparibus certare* summotus pudor. » Epist. II, 2, 74 « Tristia robustis *luctantur* funera *plaustris*. » Prop. I, 14, 7 « Non tamen ista meo valet *contendere amori*. » I, 10, 21 « Tu cave ne tristi cupias *pugnare puellae*. » Ovid. Met. I, 19 « Frigida *pugnabant calidis*, umentia *siccis*. » Hic Graecismus non solum apud Catullum, sed et apud eius aequalem Lucretium invenitur III, 6 « Quid enim *contendat* hirundo *Cycnis?* » Plin. Ep. VIII, 8, 4 « Rigor aquae *certaverit nivibus*. »

Per analogiam verba *discrepandi* etiam a poetis cum dativo construuntur. Cf. Hor. S. I, 4, 48 « (Comoedia) pede certo *differt sermoni*. » I, 6, 92 « longe mea *discrepat istis* Et vox et ratio. » Od. II, 2, 18 « *Dissidens plebi*. » Apud Vergilium nullum exemplum inveni.

§ 4. — Dativus cum verbis compositis.

Saepe fit ut relatio per dativum expressa artius et accuratius definiatur praepositionibus *ad, ante, cum, de, ex, in, ob, post, prae, sub,* quibuscum verbum componitur. Post haec verba res vel persona ad quam actio verbi per praepositionem refertur in dativo ponitur.

Hic vero Vergilius ceterique poetae, Livius etiam et posterioris aetatis scriptores paulum a prosae orationis usu deflectunt. Si enim verba cum *ad, de, ex, in, sub* composita manifeste localem relationem, id est, motum ex loco in locum, actionem in loco factam sive manentem significat, boni scriptores solent praepositionem verbi vel similem aliam iterum ponere cum casu quem ipsa regit, v. g. « *ad nos* multi rumores *adferuntur* » ; « *detrahere* anulum *de digito* » ; « *inferre* signa *in hostem* ; « *eripere* aliquem *e periculo*. » Quaedam verba cum *ad* composita, etiamsi metaphorica loci notio est,

potius cum iterata praepositione quam cum dativo construuntur. Ex quibus praecipue sunt *addo, adicio, adiungo.* — Verba cum praep. *cum* composita praepositionem iterum post se habere solent, neque unquam fere ab eo usu Cicero deflectit: Cf. Lael. 8 « Si aliquem nacti sumus, cuius *cum moribus* et *natura congruamus.* » Ibid. 9 « Eorum, *quibuscum* usu *coniuncti* esse possunt. » Pro Marcel. 2, 5 « Res gestas imperatorum — *cum tuis* non posse *conferri.* » Cf. Madvig. §. 243.

Poetae vero, Vergilius imprimis, etiamsi localis relatio et motus manifeste designatur, dativum illis verbis compositis libenter subiungunt; nec tamen alteram constructionem cum praepositione omnino respuunt. Ad id explicandum eadem iterum ratio valet, qua *Lavinia venit litora, contendere amori* explicavimus: poetas scilicet antiquitatis brevitatisque studiosos, praepositiones, ubicumque id per latinae linguae ingenium vel graecorum imitationem licet, omittere. Aliam autem causam cur poetae saepius praepositionem quamvis in prosa necessariam omittant vel omittere anteponant, ubi utraque pariter constructio in usu est, inde repetenda esse mihi videtur, quod ea vox quae tantum ad orationis formam pertinet nec quicquam nisi meram relationem significat, nullam per se ideam aut animi affectum suscitat; cum praecipuum contra poeticae munus orationis esse videatur, ut legentis menti semper aliquam vividam rerum imaginem obiciat.

Verba composita cum dativo apud Vergilium in duas partes dividam, prout verbum simplex *transitivum* vel *intransitivum* est.

A. — *Cum verbis transitivis.*

Aliqua hic tantum ex Verg. exempla proferam, quorum si numerum complere velis, vide « *Der Dativ bei Vergil,* » von Dr Dittel, p. 11. Ex ingenti turba quam congessit, haec excerpsi.

Composita cum *ad :*

Accingere: A. XI, 490 » *lateri*que *accinxerat* ensem. » II, 393, « *lateri*que Argivum *accommodat* ensem. »

Addere : G, I, 32 « Anne novum sidus te *mensibus addas.* » « A. XI, 673 « *His addit* Amastrum. » VIII, 224 « *pedibus* timor *addidit* alas. » G. I, 129 « Ille malum virus *serpentibus addidit* atris. » A. I, 592 « Quale manus *addunt ebori* decus. » II, 452 « Vimque *addere victis.* » VII, 315 « Moras tantis licet *addere rebus.* »

Adhibere : A. V, 62 « *Adhibete* Penates et patrios *epulis.* »

Adhibere ad : G. III, 455 « Dum medicas *adhibere* manus *ad vulnera* pastor. »

Adigere ad : A. IV, 25 « Pater omnipotens *adigat* me fulmine *ad umbras.* »

Adiungere : A. VIII, 514 « Hinc *tibi* praeterea Pallanta *adiungam.*

Admovere : E. III, 43 « Necdum *illis* labra *admovi.* » XII, 171 « *admovit*que pecus flagrantibus *aris.* »

Adspergere : G. III, 419 « *Pecori*que *adspergere* virus. »

Advolvere : G. III, 378 « Congestaque robora totasque *Advolvere focis* ulmos ignique dedere. » Cf. Liv. « *Advolvere* se *genibus* alicuius. »

Advertere: G. IV, 117 « *Terris* festinem *advertere* proram. » A. XII, 555 « *urbi*que *adverteret* agmen. »

Afferre : A. XII, 321 « Quis tantam *Rutulis* laudem — *attulerit.* »

Affigere : A. X, 161 « Pallasque sinistro affixus *lateri.* »

Annuere: A. XI, 797 « Phoebus sterneret ut subita turbatam morte Camillam *Annuit oranti.* »

Appellere primus Vergilius cum dat. construit : A. I, 377 « diversa per aequora vectos tempestas Libycis *appulit oris.* » VII, 39 « Adversa classem — Ausoniis exercitus *appulit oris.* »

Applicare : A. I, 616 « Quae vis immanibus *applicat* (sc. te) *oris.* » X, 536 « *Oranti* capulo tenus *applicat* ensem. » *Orantis* Benoistus cum Ladewigio edit. *Oranti* vero magis Vergilianae orationi consentaneum; genetivum enim possessivum in talibus enuntiationibus Verg., ut vidimus, fere nunquam adhibet. Ribbeck edidit *oranti.*

Aspirare : A. V, 607 « Ventos *aspirat eunti.* »

Assuescere : A. VI, 832 « Ne tanta *animis assuescite* bella. » Cf. Hor. S. II, 2, 109 « Qui *pluribus assuerit* mentem corpusque superbum. » (Cf. infra *assuescere* cum dat. et de ablativo instrumenti cum *assuescere, suetus.*)

Advehere : A. X, 655 « Rex Clusinis *advectus* Osinius *oris.* »

Composita cum *cum* :

Committere : A. XII, 60 « Desiste manum *committere Teucris.* »

Componere : E. I, 23 « Sic *parvis componere* magna solebam. » G. IV, 176 « Si parva licet *componere magnis.* »

Coniungere : E. VIII, 32 « O digno *coniuncta viro.* » A. VIII, 130 « geminis *coniunctus Atridis.* » Cf. X, 648, cum abl. « ratis celsi *coniuncta crepidine* saxi. »

Verba mit *cum* composita cum iterata praep., raro cum dativo construuntur. Cicero tamen ipse hanc dativi breviorem constructionem admittit, v. g. Orat. IV, 14 « parva *magnis* saepe rectissime *conferuntur.* » Cat. mai. V, 14 « Ennius equi fortis et victoris *senectuti comparat* suam. » Fam. XV, 11, 12 « *tibi* me studia communia, beneficia paterna tuaque

iam ante *coniunxerant*. » Sed praepositionem *cum* plerumque adhibet.

Composita cum *de* :

Deripere : A. XI, 193 « Spolia occisis *derepta Latinis*. » Cum abl. A. X, 745 « *Vagina*que cava fulgentem *deripit* ensem. » *Diripere* A. I, 211 « Tergora *diripiunt costis* et viscera nudant. »

Composita cum *ex* :

Eripere : G. IV, 106 « Tu *regibus* alas *eripe*. » A. XI, 679 « Pellis *erepta iuvenco pugnatori*. » VII, 388 « Quo thalamum *eripiat Teucris*. » V, 890 « Tenues Teucrum res *eripe leto*. » II. 289 « Euge, nate dea, teque *his eripe flammis*. » Cf. Cic. Div. II, 37, 79 « Caesar *Deiotaro regi* Trogmorum tetrarchiam *eripuit*. »

Eximere : A. IX, 446 « Nulla dies unquam *memori* vos *eximet aevo*. » Cf. Liv. VIII, 35, 5 « *eximere* aliquem *noxae*. » Plaut. Merc. 126 « Nunquam edepol omnes balineae *mi* hanc lassitudinem *eximent*. » Hor. Od. III, 14, 14 « Hic dies *mihi* curas *eximet*. »

Extorquere : A. XII, 357 « *dextrae* mucronem *extorquet*. »

Composita cum *in* :

Immergere : G. IV, 29 « Si forte morantes (sc. apes) praeceps *Neptuno immerserit* Eurus. » A. III, 605 « Spargite me in fluctus vastoque *immergite ponto*. » Cum abl. A. VI, 174 « Virum spumosa *immerserat unda*. » Cf. Hor. Od. III, 16, 2 « domus *demersa exitio*. »

Immittere : E. II, 59 « liquidis *immisi fontibus* apros. » G. II, 164 « Tyrrehnus *fretis immittitur* aestus *Avernis*. » 141 « *Immissae*que ferae *silvis*. » A. VI, 262 « furens *antro* se *immisit* aperto. » X, 40 « *Superis immissa* repente Allecto. » 406 « Dispersa *immittit silvis* incendia pastor.

Immulgere : A. XI, 572 « teneris *immulgens* ubera *labris*. »

Impingere : A. V, 805 « Cum Troia Achilles Exanimata sequens *impingeret* agmina *muris.* »

Implicare : A. I, 660 ; VII, 355 « *Implicare ossibus* ignem. »

Imponere : G. I, 281 « Ter sunt conati *imponere Pelio* Ossam, atque *Ossae* frondosum *involvere* Olympum. » 304 « *Puppibus* et laeti nautae *imposuere* coronas. » IV, 476 « *Impositique rogis* iuvenes. » A. I, 49 « Aut supplex *aris imponet* honorem. » II, 619 « Eripe, nate, fugam finemque *impone labori.* » IX, 716 « Inarime Iovis imperio *imposta Typhoeo.* » G. I, 60 ; A. IV, 418 ; G. II, 540 ; III, 116 ; A. VI, 308 ; IV, 453, 639 ; V, 463 ; II, 707 ; III, 355 ; VI, 246, 233, 253, 774 ; VII, 572 ; VIII, 185 ; X, 506 ; VIII, 409.

Incidere : E. X, 53 « tenerisque meos *incidere* amores *arboribus.* »

Includere : A. II, 19 « *Includunt* delecta virum corpora *caeco lateri.* » IX, 279. Cf. Val. Max. IV, 6 extr. 3 « publicae *custodiae inclusus.* »

Incoquere : G. IV, 249 « Huius odorato radices *incoque Baccho.* »

Incutere : A. I, 69 « *Incute* vim *ventis.* »

Inducere : E. V, 40 « Inducite *fontibus* umbras. » G. I, 106 « *inducet satis* fluvium. » 316 « messorem *induceret arvis.* » Verg. primus verbum ita construit pro *in* cum acc. A. V, 379 « *inducere manibus* caestus. » Semel *inducere alqd aliqua re* E. IX, 20 « viridi *fontes induceret umbra.* » Cf. Tac. Ann. V, 1 « Ut *penatibus suis* gravidam *induxerit.* »

Inferre : G. II, 145 « Hinc bellator equus *campo* sese arduus *infert.* » A. IX, 53 id. A. I, 6 « *Inferret*que deos *Latio.* » V, 622 « Ac sic Dardanidum mediam se *matribus infert.* » X, 576 cum *in* : « Interea biiugis *infert* se Lucagus albis *In medios.* » V, 652 ; VIII, 336, 604 ; X, 66, 300 ; XI, 36. Cf. Plaut. Merc. II, 3, 87 « flagitium muliebre *inferri domo.* » Hor. Od. I, 3, 28 « Ignem fraude mala *gentibus intulit.* »

Infindere : E. IV, 35. — *Infigere* A. I, 45 « scopuloque *infixit* acuto. » IX, 579, 699. 746. Cum abl. A. IV, 4 « haerent *infixi pectore* vultus. » V, 504 « adversi *infigitur arbore* mali. » — *Infligere* A. X, 303. — *Infodere* A. XI, 205. — *Infundere* G. I, 385. A. VIII, 406. — *Ingeminare* A. V, 434. — *Ingerere* A. XII, 330.

Inicere A. VI, 366 « Aut tu *mihi* terram *inice.* » IX, 553. *Inicere in* A. II, 408 « sese medium *iniecit* periturus *in agmen.* Cf. Hor. Od. III, 4, 73 *Iniecta monstris* Terra dolet *suis.*

Inlidere : G. III, 261 « *Scopulis inlisa* reclamant Aequora. » A. IX, 713 « Saxea pila — penitus *vadis inlisa* recumbit. »

Innectere : A. V, 425 « paribus palmas amborum *innexuit* armis. » VIII, 277 « Cum populus umbra Velavitque comas *foliis*que *innexa* pependit. »

Inspirare : A. VI, 11 « magnam *cui* mentem animumque Delius *inspirat* vates. »

Intendere. Cum verbo *intendere* saepius incertum utrum dat. obiecti an abl. instrumenti ponatur, cum id ex forma nominis non appareat. Sic A. II, 236 « Stuppea vincula *collo intendunt.* » Ladewigius *collo* abl. instrumentalem esse contendit. Forbigerus vero *intendunt* idem esse atque iniciunt, et *collo* igitur dativum esse vult ; cui assentior ; nam non collum equi, sed restis instrumentum est quo trahitur in urbem. A. VII, 380 « Pueri — *intenti ludo.* » Incertum utrum dat. an abl. A. V, 136 « *Intenta* brachia *remis.* » Wagnerus recte explicat « *remis* iam admota, morae impatientia et audito signo statim remos impulsura. » Cf. 403 « duroque *intendere* brachia *tergo.* » A. III, 683 « *ventis intendere* vela secundis » (abl.); Cf. A. V, 32 « Vela secundi intendunt zephyri. » A. V, 829 « *intendi* brachia *velis.* » Incertum ; censeam dativum esse : Cf. Lucr. IV, 74 « vela *intenta theatris.* » Cum abl. instrum. A. IV, 506 « *Intendit*que locum *sertis.* » Cf. Hor. S. I, 5, 84 « Somnus tamen aufert *intentum veneri.* »

Inserere a Verg. semper cum abl. construitur : G. II, 302

« Neve *olea* silvestres *insere* truncos. » 69 « *Inseritur fetu* nucis arbutus horrida. »

Involvere : G. I, 282 « *Ossae involvere* Olympum. » G. II, 308 « Et totum *involvit flammis* nemus.

Composita cum *ob* :

Obicere : E. III, 7 « Parcius ista *viris obicienda* memento. » A. VI, 420 « *Cui* vates horrere videns iam colla — offam *obicit*. » VII, 479 « *Obicere ad* : II, 443 « Clipeosque *ad tela obiciunt*. » IX, 370 « *Obiciunt* sese equites *ad divortia* nota. » Cf. Hor. Od. III, 10, 3 « Me *obicere* incolis plorares *aquilonibus*.

Obvertere : A. VI, 3 « *Obvertunt pelago* proras. »

Offerre : A. VII, 420 « Et *iuveni* ante oculos — se *offert*. » VI, 291.

Composita cum *prae* :

Praefigere : A. X, 80 « *praefigere puppibus* arma. » *Praefigere in* A. IX, 464 « *in hastis praefigunt* capita. »

Praetendere : G. I, 270 « *Segeti praetendere* saepem. » A. III, 692 « Sicanio *praetenta sinu* (= sinui. »)

Praetexere, subtexere aliqd aliqua re : E. VIII, 12; G. III, 15; A. III, 582.

Composita cum *sub* :

Subiungere : E. V, 29 « Daphnis et Armenios *curru subiungere* tigres. » (*Curru* = *currui.*)

Suffundere alqd in aliquae re G. I, 130 « At si virgineum *suffuderit ore* ruborem. » — *Ore* est abl. locativus. Solita constructio est : *suffundere ruborem ori*, vel *suffundere os rubore*. Poetae vero amant sic notionum relationes invertere.

Sunt quaedam simplicia verba quae per analogiam cum his compositis etiam dativum obiecti post se habent, sed et aliam constructionem admittunt.

Iungere : E. VIII, 27 « *Iungentur* iam gryphes *equis*. » A. I, 408 « Cur *dextrae iungere* dextram non datur ? » IV,

192 « *Cui* se pulchra *viro* dignetur *iungere* Dido. » VII, 724 « *Curru iungit* Halaesus equos. » VII, 268; XII. 27; VIII, 476, 485; X, 240; XI, 129. Cf. Hor. Epist. II, 3, 1 (A. P.) *Humano capiti* cervicem pictor equinam *Iungere* si velit. »

Sociare : A. IV, 16 « Ne *cui* vinclo me vellem *sociare* iugali. » A. IV, 28; VII, 96; XII, 27.

Nectere cum dat. A. IV, 239 « *Pedibus* talaria *nectit.* » Cum abl. V, 309 « flavaque caput *nectentur oliva.* »

Miscere cum certo dativo semel A. VIII, 432 « Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque *Miscebant operi.* » Ceteris in locis incerta constructio; non enim potest ex vocis exitu discerni. Dativus poetarum est, ablat. magis ad prosae orationis morem consentaneus. Verg. diversis modis construit. E. IV, 15 « *Divis*que videbit *permixtos* heroas. » 20 « *Mixta*que ridenti colocasio fundet *acantho.* » E. V, 3 « Hic *corylis mixtas* inter consedimus ulmos. » G. III, 516. A. I, 440 « Infert se saeptus nebula — *miscet*que *viris.* » 488, III, 557; V, 791; VII, 661; VIII, 432. Cum abl. A. VI, 762 « Italo *commixtus sanguine* surget. » Cum praep. *cum* A. IX, 348 « *Cum sanguine mixta* vina refert moriens. » Cum praep. *in* A. V, 470 « *Mixtos in sanguine* dentes. » Denique A. X, 398 « *Mixtus* dolor *et pudor* » = dolor mixtus pudore.

Cf. Hor. Od. I, 2, 30 « Me *dis miscent superis.* » III, 5, 38 « Pacem *duello miscuit.* » S. II, 4, 24 « Aufidius forti *miscebat* mella *Falerno.* » I, 10; 24 « Ut *Chio* nota si *commixta* Falerni est. » Od. I, 1, 24 « *Lituo* tubae *permixtus* sonitus. » Cum abl. S. II, 4, 55 « Surrentina vafer qui *miscet faece Falerna.* »

Aequare cum dat. A. IV, 89 « Aequata machina *caelo.* » VI, 782. VIII, 99. IX, 338. XI, 125. Cum praep. *cum* et abl. A. I, 193 « Numerum *cum navibus* aequet. » Ubi *aequare* idem valet ac *consequi*, non *inferiorem esse*, solum acc. habet.

B. — *Cum verbis intransitivis.*

Verba cum praepositionibus composita intransitiva dativum etiam post se habent. Haec enim, sicut et transitiva, relationem cum alia re includunt per praepositionem definitam et dativo brevius expressam.

Prosae orationis ratio haec est : Si verbum metaphoricam tantum significationem habet, quae non motus notionem includit, dativus ponitur. Si vero relationis localis etiam metaphorica notio menti occurrit, praepositio a bonis scriptoribus iterari solet. Sed Vergilius hanc distinctionem nil curat, et post verba composita utriusque significationis saepius brevitatis causa dativum ponit.

Ad :

Accedere : G. III, 190 « At, *tribus exactis* ubi quarta *accesserit* aestas. »

Accumbere : A. I, 79 « Tu das *epulis accumbere* divum. »

Adesse : E. IV, 56 « *Huic* quamvis pater *adsit*. » A. II, 330 « *Portis* alii bipatentibus *adsunt*. » X, 255. 461. 547 ; VI, 380.

Adesse ad : A. V, 55 « *Ad cineres* ipsius et *ossa* parentis *adsumus*. »

Adhaerere : G. III, 443 « *adhaesit* sudor *ovibus*. » Cicero construit *adhaerescere ad*, *in*. Tantum translato sensu *adhaerescere* cum dat. etiam construitur.

Advolare : A. X, 511 « Certior auctor *advolat Aeneae*. »

Allabi : A. III, 131 « Curetum antiquis *allabimur oris*. » 569 id. VI, 2 ; XII, 319 « Ecce *viro* stridens *allapsa* sagitta est. » *Allabi* cum acc. A. IX, 470 « *Allabitur aures*. »

Adnare : A. VI, 358 « Paulatim *adnabam terrae*. » Cicero ait *adnare ad* ; Liv. Vergilium imitatur : adnare cum dat.

Adniti : A. XII, 92 « Hasta, quae ingenti *adnixa colum-*

nae. » Sic Med. et Romanus ; Gudianus vero habet *columna*, quod mihi videtur etiam posse retineri, propterea quod Vergilius est rarioris ablativi usus, localis imprimis, amantissimus.

Adnuere : G. I, 40 « Audacibus *adnue coeptis*. A. IX, 625; XII, 846.

Aspirare : A. II, 385 « *Aspirat* primo fortuna *labori*. » IX, 525; XII, 352. *Assidere* solum cum acc. XI, 304 « *Muros assidet* hostis. » — *Assistere* A. I, 301 « Libyae citus *astitit oris*. » — *Super alqem* A. X, 490— *supra* III, 194; IV, 702; V, 10.— *Astare* A. XII, 133 « Alii *portis* sublimibus *astant*. »

Assuescere nunc cum dativo, nunc cum ablativo construitur. Saepe non potest discerni uter sit casus. Freund contendit apud Ciceronem et Caesarem semper dativum esse. Apud Vergilium cum dativo certo construitur A. VII, 490 « *Assuetus mensae* herili. » Incertum dat. an abl. G. III, 167 « Ubi libera *collo* servitio *assuerint*. » A. VIII, 174 « Iam nunc sociorum *assuescite mensis*. » G. II, 167 « *Assuetum*que *malo* Ligurem. » 472. A. V, 301; VII, 33, etc.; IX, 201 « *Bellis assuetus* Opheltis. » XII, 805 « Non illa *colo calathis*ve Minervae Femineas *assueta* manus. » A. VI, 814 « *Desueta triumphis* agmina. » VII, 746 « Horrida praecipue cui gens *assueta*que *multo Venatu* nemorum, duris Aequicula glebis. (Venatu = venatui ?) Quoties ex vocabuli forma casus non potest discerni, dativum potius esse contenderim, idque ex solita Vergilii ratione dativum cum verbis compositis construendi conicio, eumque dativum ad dativum acquisitionis esse referendum censeo. Cum enim alicui rei quis assuevit, novam qualitatem, id est, consuetudinem, acquirit, quod per dativum exprimi solet. Ablat. vero cum *assuescere* est abl. instrumenti. — *Assuescere* cum acc. rei et dat. personae A. VI, 832 « Ne tanta *animis* assuescite *bella* » est omnino insolitum.

Cf. Liv. *assuescere* cum dat. XXVII, 47, 5 « *Assuetum*

Romano *hosti*. XXXVIII, 34, 9 « disciplina Lycurgi *cui* per octogintos annos *assuerant*. » Cum abl. XXXI, 35, 3 « Genus pugnae *quo assueverant*. » Cum *ad* ibid. § 6 « *insuetus ad* stabilem *pugnam*. » Cic. de Orat. III, 15, abl. « Homines *labore* assiduo et cotidiano *assueti*. » Brut. 5 « *puro sermone assuefacta* domus. » *Assuetus in* cum accus. Liv. XXIV, 5, 9. Quint. II, 4, 17. — *Assuescere ad* Caes. B. G. VI, 28, 5 « *assuescere ad homines*. »

Assurgere : E. VI, 66. G. II, 98.

Cum :

Concurrere : A. I, 493 « Audetque *viris concurrere* virgo. » VIII, 692 ; X, 8; XI, 293 : XII, 149.

Congredi : A. I, 475; V. 809.

Contendere : G. II, 96 « Ne *cellis* ideo *contende Falernis*. » Cf. supra de verbis *pugnandi* et *certandi*.

De :

Delabi : A. VI, 16 « Serta *capiti delapsa*. » — *Elabi*. A. II, 318 « *Telis* Panthus *elapsus* Achivum. » V, 151.

Ex :

Evadere cum dat. A. IX, 99 « Quaecumque *evaserat undis*. » XI, 702 « ubi se nullo iam cursu *evadere pugnae* posse — cernit. » Cf. *evadere* cum acc, p. 48.

Excidere : G. II, 303 « Saepe incautis *pastoribus excidit* ignis. » (Dativo energico similis = pastores e manibus ignem demittunt....). A. I, 26 (dat. an abl. incertum) « necdum saevi dolores *exciderant animo*. » Cf. Ov. Trist. IV, 5, 10 « Nomen tuum *mihi excidit*. » Gallice : « Ton nom *m'*échappe. » Cum abl. separationis G. IV, 409 « ita *vinclis excidit*. » A. II, 658; VI, 686.

In :

Inlabi : A. II, 240 « *Mediae*que minans *inlabitur urbi*. » III, 89.

Imminere : E. IX, 41 « hic candida populus *antro immi-net*.

Incessere : G. IV, 68 « Nam saepe *duobus Regibus incessit* magno discordia motu :

Incidere : G. II, 107 « ubi *navigiis* violentior *incidit* Eurus. » A. XI, 699 « *Incidit huic* — filius Auni. »

Incidere in cum acc. A. II, 304 « *In segetem* veluti cum flamma furentibus Austris *incidit*. » *Incidere super* A. II, 466.

Incidere cum acc. A. IX, 721 « *incidit* deus *animos*. » Liv. hoc verbum etiam cum dat. construit.

Incubare : G. II, 607 « defossoque *incubat auro*. » A. VI, 610. I, 89. IV, 83. VII, 88.

Incumbere : E. VIII, 16 « *Incumbens* tereti Damon sic coepit *olivae*. G. II, 377 « Aut gravis *incumbens scopulis arentibus* aestas. » A. I, 84 « Venti — *incubuere mari*. » II, 514 « laurus *incumbens arae*. 205, 653. IV, 650. V, 15. VIII, 108, etc.

Incurrere : A. II, 409 « densis *incurrimus armis*. »

Indubitare : A. VIII, 404. — *Indurescere* : G. III, 366.

Ingemere : G. I, 46 « tum mihi taurus *aratro ingemere* incipiat. » A. IV, 369 « Num *fletu ingemuit* nostro ? (= *fletui*) « At-il mêlé ses gémissements aux miens ? S'est-il associé à ma douleur ? »

Ingredi : A. IV, 177 « *Ingredi*turque *solo*. » X, 148, 763, 767. *Ingredi* cum dat. videtur esse a Vergilio innovatum.

Ingruere : G. II, 410 « Bis *vitibus ingruit* umbra. » A. XII, 628.

Inhiare : A. IV, 64 « pecudumque reclusis *pectoribus inhians*. » Cum acc. G. II, 463 « Varios *inhiant* pulchra testudine *postes*. »

Inludere : G. II, 373 « *Cui* — silvestres uri capraeque sequaces *Inludunt*. » A. II, 64. IV, 591.

Innare : A. VIII, 93 « Scuta virum *fluvio* pictasque *innare* carinas. » 691. Cf. *innare* cum acc. G. III, 142. Vide supra p. 45. — *Innatare* cum acc. G. II, 451.

Inolescere : G. II, 77 « Udaque docent *inolescere libro*. »

Irrumpere : A. VI, 528 « *Irrumpunt thalamo.* » *Irrumpere* Cicero semper cum *in* et acc. construit. Caesar, Sallustius et Tacitus etiam cum acc. Cum *dat.* primus Verg. construit, quem posteriores epici secuti sunt.

Insidere : A. I, 719 « Inscia Dido *insidat* quantus *miserae* deus. » VI, 708. VIII, 480. XI, 531. Cum acc. A. II, 615. X, 59. Cf. Liv. XXI, 54, 3 « Mago locum monstrabit *quem insideatis.* »

Insistere : G. III, 114. — Cum acc. G. III, 164. A. VI, 563. XI, 573. — *Insonare* : A. XII, 366. — *Instare* : G. I, 220 « Solisque *instabis aristis.* » A. I, 504. V, 168. VIII, 537, 693. IX, 350. X, 196, 646, 692, 788. XI, 529. *Instare* cum acc. VIII, 433. — *Insultare* : G. III, 117. IV, 11. A, VIII, 570. XII, 339 ; cum acc. A. VII. 581 « *Nemora* avia matres *insultant.* »

Insurgere : A. III, 207, 560. V, 189. VIII, 234. IX, 605.

Ob :

Obambulare : G. III, 538 « Nec *gregibus* nocturnus *obambulat.* » Etiam apud Liv. — *Obluctari* A. III, 38 « *obluctor harenae.* » Verbum *obluctor* Vergilius effinxit. — *Obniti* G. III, 233. — *Occurrere* A. VI, 479. X, 220. XI, 503, 528, 808. XII, 536, 625, 854. — *Occursare* E. IX, 25.

Occumbere : A. II, 62.

Occubare : A. I, 547 « Neque adhuc crudelibus *occubat umbris.* » *Umbris* pro dat. habendum videtur. Dicit enim Verg. *occubare umbris*, ut *occumbere morti*. Benoisto tamen placet *umbris* esse ablat. et ita interpretatur : « *occubare umbris* est la même chose que cubare in umbris, inter umbras. » Conington et Forbigerus ablat. etiam defendunt. Ladewigius abl. loci ubi Aeneas iacet esse vult, *umbras* idem esse ac. *regnum umbrarum*, quae sunt A. VI, 734 « clausae tenebris et carcere caeco. »

Offulgere : A. IX, 110.

Prae :

Praesidere : A. III, 35. VII, 799. A. VI, 10. XII, 139.

Sub :

Subesse : G. II, 49. III, 388.

Subire : A. III, 292 « *portu*que *subimus* (= portui). V, 176 « Ipse *gubernaclo* rector *subit.* » VI, 222 « pars ingenti *subiere feretro.* » VIII, 125 « Progressi *subeunt luco.* » etc. — *Subire ad* A. VIII, 359 « Talibus inter se dictis *ad tecta subibant.* » Cum acc. A. I, 400. III, 83. 113. 512. IV, 599. VI, 13. 140.

Subniti : A. I, 506. III, 502.

Succedere : A. II, 723 « Succedoque *oneri.* » A. VII, 36. X, 690 etc. Semel cum repetita praep. E. V, 5 « Sive *sub* incertas zephyris motantibus *umbras*, Sive *antro* potius *succedimus.* »

Succumbere A. IV, 19. — *Succurrere* G. I, 500. A. I, 630 etc. — *Sufficere* A. IX, 811. — *Supervenire* E. VI, 20. A. XII, 356.

Haerere (= adhaerere, inhaerere) cum dat. vel abl. A. IV, 73 « *Haeret lateri* letalis harundo. » Contendi enim possit *lateri* non dat., sed antiquam abl. formam, sive locativum esse. Neue, *Formenlehre* I, p. 246, *lateri* pro abl. habet. Nusquam ex forma discerni casus potest, praeter. A. IV, 4 « *Haerent* infixi *pectore* vultus, » et X, 361 « Haeret *pede* pes densusque *viro* vir. » Ceteris in locis incerta forma. Nam in VI, 350 « *Cui* datus haerebam custos. » *Cui* cum *datus* construendus videtur sic : cui datus custos, haerebam. E. III, 102 « Vix *ossibus haerent.* » A. I, 476 « *Curru*que *haeret* resupinus inani. » (Curru = currui ?) II, 442. III, 607. IX, 419, 537. X, 384, 780. XII, 415 « *Tergo* volucres *haesere* sagittae.» XII, 868 « Vox *faucibus haesit.* »

Dativus quidem poeticae rationi magis consentaneus videtur, et ad hunc poetarum usum pertinet, quo res etiam, et locos tanquam personas tractant, quae actioni verbi quodam modo intersunt. Eadem igitur ratione Verg. *haeret lateri* (dat.)

dixit, qua *capiti delapsa* E. VI, 16. Ex eo tamen quod duobus in locis ablativus certus sit, nusquam vero dativus, coniciam ceteros locos per ablativum esse interpretandos. Id etiam confirmatur A. X, 845, ubi *inhaerere* cum abl. construitur : « Ad caelum tendit palmas et *corpore inhaeret*. » Ovid. Met. V, 38 ; XII, 95 : *haerere* et *adhaerere* cum abl.

Haerere alicui (=se ad aliquem adiungere socium): A. X, 780 « Antorem — qui *haeserat Evandro*. » Cic. Rosc. com : VI, 17 « potest hoc *homini huic haerere* peccatum ? » *homini huic* est dat. personae acquirentis.

§ 5. — Dativus post adiectiva.

Non omnes locos Vergilii enumerabo in quibus dativus ad morem ceterorum scriptorum adiectivis subiungitur. Aliqua tantum proferam exempla, in quibus Vergilius paulo insolentius, similitudinis causa, adiectivum cum dativo construit.

Fortis : G. III, 62 « Cetera (sc. aetas) nec feturae habilis nec *fortis aratris*. — *Fertilis* : G. IV, 129 « Nec *fertilis* illa *iuvencis* Nec *pecori* opportuna seges, nec commoda *Baccho*. » *Iuvencis* tamen pro abl. possit haberi : = terra non fertilis iuvencorum labore. Sic interpretantur Forbigerus et Heynius. Conington vero et Benoistus dativum esse volunt et conferunt Hor. Od. II, 15, 8 « Olivetis— *fertilibus domino priori*. » Ex Ladewigii interpretatione patet eum etiam dativum esse commodi censere : « Non proventu haec seges iuvencorum laborem remuneratur. » Cui explicationi ego omnino assentior. »

Dexter : A. IV, 294 « Quis *rebus dexter* modus. »

Vividus : A. V, 754 « *Vivida bello* virtus. »

Invius : A. VI, 154 « Regna *invia vivis*. »

Indecoris : A. VII, 231 « Non erimus *regno indecores*. » Dat. finalis = erimus regno decori. Cf. « tu decus omne *tuis*. »

Dulcis : A. IV, 317 « fuit *tibi* quicquam *dulce* meum. » XII, 882 « aut quicquam *mihi dulce* meorum te sine, frater, erit ? » E. III, 80 sqq.

Laetus : A. I, 732 « Hunc *laetum Tyriis*que diem Troiaque *profectis* Esse velis. »

Magnus : E. X, 72 « Vos haec facietis *maxima Gallo*. » Forbig. interpretatur : gratissima, acceptissima, ideoque etiam maximi aestimata. Benoistus : « Facietis (ut) haec maxima (videantur) Gallo (dat. iudicantis). »

Paratus : A. II, 334 « *Parata neci* Stat ferri acies. »

Similis uno tantum loco Verg. cum genetivo coniungit A. V, 594 « *Delphinum similes*. » Alias cum dat.: E. I, 20 « Stultus ego *huic nostrae similem* Romam putavi. » 20 « *Canibus* catulos *similes*. » G. II, 131 « *Simillima lauro*. » A. I, 589 « Os umerosque *deo similis*. » Id. G. III, 193. A. II, 794. A. VI, 702. IV, 254, 558. V, 254. VI, 522, etc.

Vergilius Ciceronianum usum servavit. Cic. enim veteresque scriptores *similis* cum genet. construunt, cum nominalem notionem continet et idem vult atque *imago*, *exemplar*. v. g. filius est *patris similis* = est patris exemplar (le portrait de son père), sive ad ingenium sive ad corporis habitum respiciatur ; cum dat. contra, si tantum adiectivi notio inest. — De ratione grammatica, qua *similis* et *dissimilis* modo cum genet., modo cum dat. construuntur, satis erit referre quid de ea re Zumptius et Madvigius censeant. « Illa adiectiva, ait Zumptius, genet. accipiunt, si de interiori et in ipsa re posita similitudine, sive de naturae et morum similitudine agitur. Liv. I, 20 « quia in civitate bellicosa plures *Romuli* quam *Numae similes* reges putabat fore. » Madvig. : « *Similis* (*consimilis*, *adsimilis*) et *dissimilis* apud optimos scriptores pariter cum genetivo et dativo construuntur, fere semper tamen cum genet., si de animantibus (praecipue de diis et hominibus) agitur. » Vergilii usus nil huic Zumptii doctrinae (cui et Krüger assentitur) repugnat. In omnibus enim locis,

in quibus *similis* cum dat. construitur, de externa tantùm similitudine agitur.

Diversus etiam a poetis, propter cognatam significationem cum *dissimilis*, cum dativo iungitur : *diversus alicui* pro *ab aliquo*.

Eadem ratione verba *discrepandi* et *distandi* cum dat. pro *ab* et abl. poetae construunt : Hor. Epist. I, 7, 33 « quid *distant* aera *lupinis*. »

Apud Livium *abhorrens* cum dat. semel invenies II, 14, 1 « *Huic* tam pacatae *profectioni* ab urbe regis Etrusci *abhorrens* mos. »

Vicinus cum dat. E. IX, 28 « Mantua vae miserae nimium *Vicina Cremonae !* » G. II, 224. A. V, 759. Cum genet. A. III, 500 « *Vicina Thybridis* arva. » *Vicina* hic indicat relationem possessionis quae per genetivum exprimi solet. Gallice enim dicimus « Les campagnes *du Tibre*. » Vossius germanice transfert : « Nachbarfluren *des* Thybris. »

Secundus (= proximus ordine) A. XI, 441 « haud *ulli* veterum virtute *secundus*. »

Inaccessus A. VIII, 195 « Spelunca solis *inaccessa* radiis. »

Contiguus, id est, qui attingi potest : A. X, 457 « Hunc ubi *contiguum* missae fore credidit *hastae*. » (= intra teli iactum venisse.)

Externus: A. III, 42 « Non me *tibi* Troia *externum* tulit. »

Obscurus : A. XI, 343 « Res *nulli obscura*. »

Aequalis cum gen. A. X, 703 « *Paridis*que Mimanta *aequalem* comitemque. »

§ 6. — Dativus finalis.

1. — Dativus rei post verba *esse, dare, mittere, venire,* aliaque eiusdem significationis a Vergilio, sicut a ceteris scriptoribus, adhibetur ad indicandum quae sit agentis intentio, aut quis sit actionis effectus, et ad interrogationem respondet : quem ad finem hoc agitur ? quid utilitatis habet ? quo tendit ? Ea vocabula praecipue in hanc dativi constructionem veniunt, quae *gaudium* et *maerorem, laudem* et *dedecus, utilitatem* et *incommodum,* etc. significant. — Saepius ad dativum rei accedit dativus personae propter quam res agitur.

G. II, 182 « *Indicio est* tractu surgens eodem Oleaster. » III, 112 « *Tantae est* victoria *curae.* » 511 « Mox *erat* hoc ipsum *exitio.* » A. II, 216 « post ipsum *auxilio subeuntem* — corripiunt. » XII, 733. V. 686 « *Auxilio*que *vocare* deos. » XI, 369 « Et si adeo dotalis regia *cordi est.* » — E. II, 37 « Fistula, Damoetas *dono mihi* quam *dedit* olim. » III, 61 « *illi* mea carmina *curae.* » G. I, 17 « Tua si *tibi* Maenala *curae.* » III, 384. IV, 113. A. IV, 59. A. VII, 326 « *cui* tristia bella et crimina noxia *cordi.* » IX, 775. X, 252. XI, 369. — A. I, 298 « Utque novae pateant Carthaginis arces *Hospitio Teucris.* » 22 « Hinc populum late regem — *venturum excidio Libyae.* » X, 716 « *quibus est* Mezentius *irae* » *irae esse alicui* primus Verg. adhibuit.

Animadvertas mirum et unicum illud A. XII, 854 : « Inque *omen Iuturnae* iussit. » *Iuturnae omen* iungendum est.

G. IV, 165 « Sunt *quibus* ad portas custodia *sorti*; » incertum est utrum *sorti* abl. an dat. sit. Ladewigius censet antiquiorem esse ablativi formam, ut *parti, luci.* Cf. Sil. Ital. VII, 367 « *Quis* tunc cecidit custodia *sorti.*» Benoistus ad eam sententiam accedit. Conington etiam censet ablat. antiquum

esse, et ad sententiam confirmandam ex Liv. laudat XXIX, 20 « *sorti* evenisset » et ex Plaut. Cas. II, 7, 6 « *sorti victus.* »

Loco dativi ad finem vel effectum exprimendum nominativus etiam cum verbo *esse*, rarius cum ceteris verbis, coniungitur. E. III, 101 « Idem amor *exitium est pecori* pecorisque *magistro.* » E. V, 34 « Tu *decus* omne *tuis.* » VIII, 88 « Nec *sit mihi cura* mederi. » Cf. Cic. Fin. II, 18, 59 « Cuius mors tibi *emolumentum futura sit.* » Tum et accusativus post verbum transitivum A. IX, 361 « Cingula, Tiburti *Remulo* olim quae *mittit dona.* » — Nota unicam apud Vergil. constructionem E. VII, 40 « Si qua tui Corydonis habet te cura, si quod non aequo foedere amantes *Curae* numen *habet* iustumque memorque, precatur. » *Curae habere* = cordi habere.

Graeca lingua solam hanc nominativi constructionem cum εἶναι, *γίγνεσθαι* admittit, quia praedicativam relationem latine per dativum expressam, solum ad congruentiam pertinere Graecus iudicat. Cf. Xen. Memor. II. 36 « Χαιρέφων ἐμοὶ ζημία μᾶλλον ἢ ὠφέλειά ἐστιν. »

2. — Dativus consilii, finis vel propositi saepe apud Vergilium pro *ad cum acc.* ponitur. G. I, 173 « Caeditur et tilia ante *iugo* » (= ad iugum conficiendum). G. II, 531 « Corpora agresti nudant praedura *palaestrae.* » Hanc habet lectionem Mediceus, Palat.; Rom. *palaestra. Palaestrae* dativus finalis mihi generali sententiae magis convenire videtur. A. II, 246 « *Fatis* aperit Cassandra *futuris* ora » (= ad canenda fata). 315 « glomerare manum *bello* ardent » (= ad bellum). 542 « Corpus exsangue *sepulcro* Reddidit Hectoreum. » 759 « Collectam *exsilio* pubem. » III, 46 « *Iaculis* increvit acutis » (= in iacula). Ea est Ladewigii interpretatio (« zu spitzigen Lanzen »), quam et Benoistus admittit. 136 « *Conubiis arvis*que novis operata iuventus. » 327 « *Servitio* enixae. » IV, 84 « Portusve aut propugnacula *bello* Tuta parant. » V, 754. VII, 53 « Iam matura *viro.* » 633 « It *bello* tessera

signum. » (Iungere etiam possumus : *signum bello* = signum *belli*). 642 « Qui *bello* exciti reges. » 482 « *Belloque* animos accendit agrestes. » *Aliquem accendere ad, in aliquid* est usitatum et tritum ; sed *accendere aliquem alicui rei* est insolita constructio, quae apud Claudianum tunc primum iterum occurrit. Insolitum est etiam A. I, 210 « *Se accingere alicui rei* : » « Illi se *praedae accingunt*. » *Accingere* = *se parare* primum apud Liv. in prosa oratione occurrit. Ceterum apud classicos scriptores semper cum *ad, in* construitur ; soli poetae dat. etiam adhibent. A. VIII, 566 « Ter *Leto* sternendus erat. » Cf. VII, 464 « Sternere *Morti*. » IX, 432 « Volvitur Euryalus *Leto*. » XI, 649 « Camilla unum exserta latus *pugnae*. »

Cf. Cato R. R. c. 3 : « Et *rei* et *virtuti* et *gloriae* erit. » C. 38 « Virgas et sarmenta quae *tibi usioni* supererunt — comburito. » Plaut. Cas. II, 5, 19 « Siquidem tu es *frugi bonae*. » Ter. Adelph. I, 2, 24 « tu nunc *tibi* id laudi ducis » Lucr. I, 759, sqq. « inimica modis multis sunt atque *veneno* ipsa *tibi* inter se. » V, 541 « Nec caput est *oneri collo*. » VI, 771 « multa, *cibo* quae sunt. »

Dativus = *in, ad* cum acc. Tibul. I, 2, 12 « *Capiti* sint, precor, illa *meo* » (= ista exsecratio in caput meum recidat). Prop. IV, 5, 20 « Est *poenae* servo rumpere teste fidem. » Dat. an genet.? Sensus quidem idem est : = Turpe est et poena dignum etc. IV, 12, 36 « Altaque nativo creverat herba *toro*. »

Notanda praecipue constructio qua verbum *esse* cum dativo gerundivi ad finem et propositum exprimendum coniungitur G. I, 3 « qui cultus *habendo* sit *pecori*. » G. II, 9 « Principio *arboribus* varia est natura *creandis*. » 177 « Quae sit *rebus* natura *ferendis*. » 396 « Est etiam ille labor *curandis vitibus* alter. » Cf. Lucr. I, 185 « Nec porro *augendis rebus* spatio foret usus. » II, 855 « Eadem debent primordia rerum Non adhibere suum *gignundis rebus* odorem. »

Nota gerundivum absolute positum A. XII, 88 « Simul aptat

habendo ensemque clipeumque. » Heynius : « *aptat habendo*, ad habendum, h. e. ut haberi commode manu ac tractari possit. » Ceteri recentiores editores cum Heynio consentiunt. Cf. Cic. Fam. III, 8 « *Solvendo* civitates non erant » = non poterant debitum solvere.

Aliquando etiam, apud Liv. imprimis, sine verbo dativus gerundivi substantivo subiungitur : decemviri *legibus scribendis* ; curator *muris reficiendis*. Liv. II, 8 « Valerius consul comitia *collegae subrogando* habuit. » Apud Livium usus ille gerundivi in dativo frequentissimus, praesertim cum *comitia habere*, *diem indicere*, *locum eligere*, *capere*, etc. XXV, 5, 2 « Comitia *pontifici maximo creando* sunt habita. » XXV, 16, 9 « dies composita *gerendae rei*. » II, 9, 6 « divites qui *oneri ferendo* essent ; » et passim.

Pro gerundivo participium praeteriti eadem significatione construitur. Geo. II, 140 « Haec loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere *satis* immanis *dentibus* hydri. » Ad quem locum Benoistus recte haec adnotat. « Le datif indique que l'action de semer a été le but auquel se terminait celle de labourer, et qu'elle a été postérieure. Ordinairement on emploie dans des cas semblables le participe futur passif; mais comme l'action est entièrement passée par rapport au moment où il parle, le poète a pu mettre le participe passé. Expliquez comme s'il y avait : « ad serendos dentes, quales ab Iasone satos accepimus. » Errant igitur qui *satis dentibus* ablativum absol. esse putant.

Non ea est Ladewigii opinio, cuius subtilem interpretationem liceat hic referre. Censet *invertere* = inarare, id est, in terram arando alqd abscondere. Quod si ita intellegamus, ait, non ad id adducimur ut *satis dentibus* pro *serendis dentibus* dictum esse arbitremur. Debemus enim nobis ante oculos rationem illam arandi reponere, qua v. g. Kartoffeln inaramus : mala in primum sulcum iniecta terra, quae insequenti tractu invertitur, operiuntur. »

§ 7. — Dativus ethicus.

Dativus quem *ethicum* vocant, apud poetas et prosae orationis scriptores frequentissimus invenitur. Hunc dativum abundare, vel, ut etiam nunc quibusdam placet, expletivum esse putarunt veteres grammatici. Hoc censet Perizonius not. ad Sanct. II, 4, 5 : « Sed saepe, inquit, eleganter prorsus abundat » et multa effert exempla, v. g. Plaut. Aul. III, 3, 22 « quae *mihi* potest interbibere fontem Corinthiensem ? » Cic. Fam. VII, 1 « Tu *mihi* istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta. » Quam opinionem amplecti et fovere Ruddimannus II, p. 127 videtur. Omnibus vero notum dativum pronominis personalis *mihi, tibi, nobis, vobis*, in illis locutionibus non expletivum esse, sed indicare personam quae in dativo ponitur non ab effectu verbi alienam esse, sed aliquo modo, sive orantem, sive minantem, affinem esse. Holtzius (Synt. priscor. lat. script.) hunc dativi usum ad dativum commodi, vel personae cui studium est, recte refert. Curtius (Griechische Gram. § 433) vocat dativum personae quae animo actionis est particeps (die mit dem Gemüthe theilnehmende Person); unde nomen *ethicus* (ἦθος, mores, animus) venit.

Ex Vergilio haec exempla in medium proferam : E. III, 100 « heu ! heu ! quam pingui macer est *mihi* taurus in ervo ! » *Mihi* pro dativo possessionis haberi potest. VIII, 6 « Tu *mihi* seu magni superas iam saxa Timavi, Sive oram Illyrici legis aequoris. » G. I, 45 « Depresso incipiat iam tum *mihi* taurus aratro Ingemere. » II, 252 « Ah ! nimium ne sit *mihi* fertilis illa. » 298 « Neve *tibi* ad solem vergant vina cadentem. » IV, 534 « Ipse *tibi*, tua maxima cura, stat lacrimans. » A. V, 162 « quo tantum *mihi* dexter abis ? » V, 391 « Ubi nunc *nobis* deus ille magister. » XII, 566 « Ne quis ob in-

ceptum subitum *mihi* segnior ito. » A. II, 274 « Hei *mihi* qualis erat... » I, 261 « hic *tibi* bellum ingens geret Italia. » A. II, 601 « Non *tibi* Tyndaridis facies invisa Lacaenae Culpatusve Paris, divum inclementia — Has evertit opes. » A. III, 389 « Cum *tibi* — inventa sub ilicibus sus — iacebit. » Iungere tamen possis : *inventa tibi*. X. 88 « Nosne *tibi* fluxas Phrygiae res vertere fundo Conamur ? » E. IX, 57 « Nunc omne *tibi* stratum silet aequor. »

Cf. Ter. Heaut. IV, 6, 16 « Scin ubi nunc sit *tibi* tua Bacchis ? » Eun. V, 8,23 « *mihi* illam laudas ? » Cic. Att. I, 14, 5 « Hic *tibi* rostra Cato advolat. » Liv. XXIV, 38 « Tum *mihi* — turbam invadite. » Lucr. II. 864 « Nec *tibi* res redeant ad nilum funditus omnes. » Catull. XXIV, 4 « Mallem divitias *mihi* dedisses isti... » = « J'aimerais mieux, *pour mon compte*, que tu eusses donné. » Hor. Epist. I, 3, 15 « quid *mihi* Celsus agit ? »

§ 8. — Dativus cum verbis passivis.

Nunc pervenio ad hunc dativi usum quo personae agentis, quae cum verbis passivis in ablativo cum *ab* poni solet, in dativo construitur. Ut vero dignoscatur quantum sibi poetae licentiae in hoc dicendi genere sumant, quae sit apud scriptores prosae orationis dativum cum passivo verbo coniungendi regula paucis verbis in memoriam revocabo.

Apud Ciceronem plerumque gerundivo in *dus* exeunti dativus adiungitur, nonnunquam tamen praepositionem cum ablat. gerundivum post se habet. — Tum et participia temporaque ab iis derivata apud Ciceronem ceterosque eiusdem aetatis scriptores, quanquam frequentius cum *ab* et ablat., nonnunquam tamen cum dat. construuntur : « *Mihi* consilium *captum* iamdiu *est*. » Tusc. IV, 19, 44 « *Cui* non *sunt auditae*

Demosthenis vigiliae? » ad Att. XIII, 24 « Ego *audita tibi* putaram. »

In ea constructione passivum aliqua ex parte intransitivi vel reflexi verbi significationem habet, ita ut dativus non tam personam indicet agentem, quam quae actionis est particeps, vel cui actio prodest. Per ablat. contra cum *ab* id unum indicatur, personam scilicet esse actionis auctorem.

Ceteris vero verbi passivi formis nunquam fere a Cicerone bonisque scriptoribus dativus subiungitur. Soli poetae et posterioris aetatis scriptores hoc dicendi genus admiserunt.

Haec sunt Ciceronis exempla: Off. III, 9 « Honesta *bonis viris*, non occulta *quaeruntur*. » Cat. mai. 11 « Semper in his studiis laboribusque *viventi* non *intellegitur* quando obrepat senectus. » Nat. deor. II, 48 « *Bestiis* communiter cibus *quaeritur*. » Tusc. V, 24 « *Sumatur* enim *nobis*. » Invent. I, 46 « Illa *nobis* alio tempore *explicabuntur*. » In Verr. III, 16 « *Tibi* consulatus *quaerebatur*. » Att. I, 16 « Epistola quam nolo *aliis legi*. »

Nulla alia eius formulae exempla apud Ciceronem invenias. Constructio enim dativi cum *probari* (*mihi probatur*), plane diversi generis est. *Probo tibi aliquid* communiter occurrit cum significatione : facio tibi aliquid acceptum. *Aliquid mihi probatur* eadem est formula in passivum conversa, ubi *tibi* non a verbo passivo, ut subiectum agens, sed a notione praedicati probatum, ut obiectum determinans pendet.

Poetae vero et scriptores posterioris aetatis, qui libentissime orationem praepositionibus levant, saepius dativum etiam cum simplicibus verbi passivi formis iungunt. Cui licentiae dicendi eadem causa est adscribenda quae ceteris, in quibus praepositio omittitur, brevitatis scilicet et graecitatis studium.

Haec apud Vergilium exempla dativi cum verbis passivis inveni.

1. — Cum *gerundivo*, ut in prosa oratione :

G. I, 313 « Quae *vigilanda viris*. » 205 « Praeterea tam sunt Arcturi sidera *nobis* Haedorumque dies *servandi*. » IV, 396 « Hic *tibi*, nate, prius vinclis *capiendus*. » A. II, 780 « Longa *tibi* exsilia, et vastum maris aequor *arandum*. » III, 495. V, 730 « Gens dura atque aspera cultu *Debellanda tibi* est. » VII, 444 « Bella viri pacemque gerent, *quis* bella *gerenda*. » IX, 175 « Quod *cuique* tuendum est. » XI, 230 « Alia arma *Latinis Quaerenda*, aut pacem Troiano ab rege petendum. » XI, 259 « Vel *Priamo miseranda* manus. » 275. 388, id.

2. — Cum *participio perfecti :*

E. I, 54 « Hyblaeis *apibus* florem *depasta* salicti Saepes. » E. II, 19 « *Despectus tibi* sum. » 41 « Praeterea duo, nec tuta *mihi* valle *reperti* capreoli. » E. IX, 53 « Nunc *oblita mihi* tot carmina. » E. X, 50 « Chalcidico quae *sunt mihi condita* versu. » G. I, 399. II, 16, 487 « Virginibus *bacchata* Lacaenis Taygeta. » III, 6 « *Cui* non *dictus* Hylas puer ? » 347. A. I, 326. II, 247, 580. IX, 48. X, 186. III, 14 « Acri quondam *regnata Lycurgo*. » VI, 793 id. III, 275 « *nautis formidatus* Apollo. » 389. VIII, 43. III, 493, 495. VII, 598. IV, 31. V, 569. XII, 394. IV, 328 « Si qua *mihi* de te *suscepta fuisset* suboles. » V. 305, 360 « Clipeum *Danais* de poste *refixum*. » 610. VI, 509, 609 « *quibus pulsatusve* parens et fraus *innexa* clienti. » VII, 411 « Locus Ardea quondam *dictus avis*. » 507. VIII, 38, 169. IX, 564 « *Quaesitum matri* multis balatibus agnum. » X, 6. XI, 157. X, 392 « Simillima proles, *indiscreta suis*. » X, 430 « Et vos, o *Grais imperdita* corpora, Teucri. »

3. — Cum *ceteris* verbi passivi *temporibus* :

E. VI, 72 « His *tibi* Grynei nemoris *dicatur* origo. » G. I, 207 « *Quibus* in patriam ventosa per aequora vectis Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi. » G. III, 170 « *illis* iam saepe

rotae *ducantur* inanes. » A. I, 440 « Infert se — miscetque viris neque *cernitur ulli*. » III, 398 « Cuncta malis *habitantur* moenia *Grais*. » VIII, 272 « Ara — quae Maxima semper *dicetur nobis*. » I, 574 « Tros Tyriusque *mihi* nullo discrimine *agetur*. » III, 412 « Laeva *tibi* tellus et longa laeva *petantur* Aequora circuitu. » Huc forsan pertinent V, 797 « *Liceat* dare tuta per undas vela *tibi* » (*tibi* = per te : a te sit nobis datum.); G. II, 5 « *Tibi* pampineo gravidus autumno *floret* ager » (= per te; tu facis ut ager floreat.); G. II, 205 « Tardis *cedere* plaustra *iuvencis* » (= devehi a iuvencis.) In his enim locis verbum intrans. passivum habet significationem. Cf. Plaut. Epid. II, 2, 44 « Illis *quibus* tributus maior *penditur*, pendi potest. » III, 4, 31 « Argenti quinquagenta *mi* illa *emptast* minis. » Ter. Phor. II, 1, 18 « *Medicata mihi* sunt omnia incommoda. »

Apud Caesarem nullum huius constructionis occurrit exemplum.

Catul. XVII, 6 « In quo (sc. ponte) vel *Salisubsulis* sacra *suscipiantur*. » (= « sur lequel les prêtres Saliens puissent faire leurs bonds sacrés. ») — Prop. IV, 6, 62 « In me caeruleo fuscina *sumpta deost*. » (= « le dieu de la mer azurée s'est armé de son trident contre moi. ») IV, 8, 49 « Celsaque Romanis *decerpta* palatia *tauris*. » — Ovid. Pont. III, 39 « Cum toties eadem dicam, vix *audior ulli*. » Trist. V, 10, 37 « Barbarus hic ego sum quia non *intellegor ulli*. »

Hor. Od. I, 32, 5 « Barbite *Lesbio* primum *modulate civi*. » A. P. 40 « *Cui lecta* potenter erit res. » Od. II, 6, 5 « Tibur Argeo *positum colono*. » Epist. I, 19, 3 « Carmina quae scribuntur aquae *potoribus*. »

Liv. X, 11, 12 « *Lucano populo* satis superque *erratum*. » XXVIII, 12 « Hispania, prima *Romanis inita* provinciarum. » Cf. Kühnast, Liv. Synt. p. 139.

Tacitus hanc constructionem gratissimam habet : Dial. 4 « In quibus *mihi* satis superque *sudatum est*. » Agr. 10

« *Multis scriptoribus* memoratas. » Germ. 16 « Nullas Germanorum *populis* urbes *habitari*. » Hist. I, 60 « Trebellius Maximus per avaritiam et sordes *contemptus exercitui* invisusque. » Ann. I, 1 « Veteris populi Romani prospera vel adversa claris *scriptoribus memorata sunt*. »)

§ 9. — Dativus post verba motum indicantia.

Iam transeo ad audaciorem illum dativi usum quo ponitur dativus post verba motum ex loco in locum indicantia, quae accusativum cum praep. *ad*, *in* petere solent. Hanc quidem solam accusativi cum praep. constructionem admittit pedestris oratio. Poetae vero fere omnes Augustaneae aetatis, sicut et illi qui eos postea sunt imitati, saepissime motus finem per dativum significant, v. g. Verg. A. V, 451 « it clamor *caelo*, » id est: *ad caelum*.— A. I, 364 « Portantur avari Pygmalionis opes *pelago*. » (= ad pelagus, in naves.)

Omnes usquedum enumeratae Vergilianae orationis licentiae apud prosaicos etiam scriptores hic et illic occurrunt. Hic vero dativi usus ad interrogationem *quo* respondentis et partes accusativi cum *ad*, *in* gerentis poeticae orationis proprius remansit nec ab ullo aureae aetatis prosaico scriptore hospitio acceptus est. Censeo igitur non satis esse si hanc singularitatem digito monstraverim et exempla ex Vergilio collecta protulerim. Res est mihi ratione diligentius investiganda, et paucis explanandum unde hic usus originem trahat.

Priusquam ipsam de ea re doctrinam aggredior, omnes Vergilii locos in quibus dativus post verba motum indicantia ponitur, secundum nominis exitum et formam ordinatos, enumerabo.

Libentissime profiteor me nihil aliud fecisse quam elaboratissimam et accuratissimam dissertationem in angustiora

constrinxisse, quam de ea re edidit Gustav Schroeter, Gymnasii Saganiensis professor : (*Der Dativ der Richtung in der Dichtersprache*).

I^ae Declinationis. — *Terrae* : G. II, 290 « Altior ac penitus *terrae* defigitur arbos. » *Terrae* = in terram, nam *in* cum acc. occurrit post defigere apud Plaut. Pers. II, 4, 24 « Te defigam *in terram* colaphis. » Plin. VIII. 12 « Morsus *in aurem* defigere. » A. X, 555 « Caput orantis et multa parantis Dicere deturbat *terrae*. » VI, 652 « Stant *terrae* defixae hastae. » V, 48 « Ossa parentis condidimus *terrae*. » XI, 204 « Corpora multa virum *terrae* infodiunt. » Hic *terrae* non a verbo composito pendet, sed ut in praecedentibus exemplis locum, *in quem* fit humatio, exprimit. XI, 87 « Sternitur et toto proiectus corpore *terrae*. »

Patriae : A. XI, 594 : Post ego nube cava miserandae corpus et arma Inspoliata feram tumulo *patriae*que reponam.»

II^ae Declinationis. — Multo plures sunt dativi secundae declinationis.

Orco : A. II, 398 « Multos Danaum demittimus *Orco*. » IX, 527. IX, 785 « Iuvenum primos tot miserit *Orco* ? »

Leto : A. VIII, 566 « Ter *leto* sternendus erat. » IX, 433 « Volvitur Euryalus *leto*. » X, 319 « Cissea durum immanemque Gyan deiecit *leto*. »

Averno : A. VI, 126 « Facilis descensus *Averno* » (= via ad Avernum.) Dativus non iam verbo, sed nomini *descensus* subiungitur. Caes. B. G. VIII, 40 simili utitur structura : « Erat difficilis et praeruptus *eo* descensus.

Caelo : A. II, 186 « Hanc molem *caelo* educere iussit. » III, 678 « *Caelo* capita alta ferentes. » V, 451 « it clamor *caelo*. » XI, 192 « It *caelo* clamorque virum clangorque tubarum. » G. II, 306 « Ingentem *caelo* sonitum dedit. » A. II, 688 « *Caelo* palmas cum voce tetendit. » A. VI, 178 « Aram que sepulcri Congerere arboribus *caelo*que educere certant. »

XI, 681 « Consurgunt geminae quercus intonsaque *caelo* attollunt capita. » G. I, 322 « Saepe etiam immensum *caelo* venit agmen aquarum. » Hic tamen *caelo* pro dativo ethico possit haberi : Caelo aquarum agmen venit = ita ut caelum inde obscuretur.

Olympo : G. IV, 562 « Viamque adfectat *Olympo*. »

Solo : A XI, 585 « Ipsum pronum sterne *solo*. » XII, 380 « Cum rota praecipitem — impulit effuditque *solo*. » 632 id.

Bello : A. VII, 761 « Ibat et Hippolyti proles pulcherrima *bello*. » Censeo cum Benoisto iungendum esse : *ibat bello* = in bellum. Heynius coniungit *bello insignem* ; sed hanc intellegendi rationem iam collocatio verborum respuit : *insignem* absolute est positum. Nil vero obstat quin iungas *pulcherrima bello* = bello fortissima. Cf. Supra V. 156 « Satus Hercule pulchro pulcher Aventinus. » Ubi *pulcher* idem valet ac *fortis*. Pulchritudo enim herois est robur corporis.

Gremio : A. III, 509 « Sternitur optatae *gremio* telluris ad undam. » (= in gremium) ; eadem enim ratione qua Verg. scripsit « sternit *humi* », scribere potuit « *sternitur gremio* terrae. »

Humo : « Ipse feraces figat *humo* plantas. »

Ponto : A. I, 70 « Aut age diversas (sc. naves) et disice corpora *ponto*. » V. 133 « Palmas *ponto* tendens utrasque Cloanthus » (= palmas altum mare versus porrigens). IX, 712 « Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante constructam *ponto* iaciunt. »

Alto : A. I, 126 « *Alto* prospiciens Neptunus. » (= in mare oculos dirigens). Dativus *alto* indicat mare planum et latum in quod Neptuni prospectus dirigitur, et rectissime aequataque locutione Ladewigius germanice transfert : « Ins Meer hinausschauend. » Caesar cum praep. eodem sensu dixit B. C. II, 5 « prospicere in urbem. » Cum Neptunus non ipsum mare inspicere, sed causam tempestatis investigare vellet, non poterat Verg. accusativum post verbum *prospicere* ponere,

quod quidem obiectum ipsum verbi indicasset. Cf. A. I, 154. VI, 357. VII, 288. Errant igitur qui interpretantur: = ex alto caput extollens. Cf. Ladewig. Anhang p. 254.

Profundo : A. XII, 263 « Penitusque *profundo* vela dabit. » (profundo = im mare).

Pelago : A. II, 37 : Aut *pelago* Danaum insidias suspectaque dona Praecepitare iubent. » IV, 546 « Quos Sidonia vix urbe revelli Rursus agam *pelago*. » A. I, 181 « Aeneas scopulum interea conscendit et omnem Prospectum late *pelago* petit etc. » (*pelago* = per omne pelagus, in pelagus). Constructionem illustrare si velis, cf. Pacuv. Chrys. fr. 9. (Ribbeck), « Incipio saxum tentans scandere verticem summusque *in omnes partes prospectum aucupo*. » *Prospectum pelago petit* = *alto prospiciens*, sup. A. I, 126. — A. I, 364 « *Pelago* portantur avari Pygmalionis opes. »

Fluvio : G. I, 272 « Balantumque gregem *fluvio* mersare salubri. » A. XII, 256 « Praedamque ex unguibus ales Proicit *fluvio*.

Rivo : E. VIII, 102 « Fer cineres, Amarylli, foras, *rivo*que fluenti transque caput iace. »

Tumulo : A. XI, 594 « Inspoliata arma feram *tumulo*. »

Campo : G. I. 401 « At nebulae magis ima petunt *campo*que recumbunt. » (= e caelo in campum se demittunt).

Medio : « A. III, 417 « Venit *medio* vi pontus. » (= mare violenter in medium irruit).

Pado : G. II, 452 « Alnus missa *Pado*. » Cf. Claud. XXXV, 178 « Missamque *Pado* qui remigat alnum. »

Solio : A. VIII, 178 « Accipit Aeneam *solio*que invitat acerno. » (= ei annuit ut in solium corpus reponat.)

Eodem sensu eademque ratione construuntur etiam nomina personarum in dativo : persona ad quam motus dirigitur in dativo ponitur. A. II, 456 « Andromache puerum *avo* Astyanacta trahebat » (= ad avum). X, 401 « *Ilo* namque

procul validam direxerat hastam. » 521 « Inde *Mago* procul infensam intenderat hastam. »

III^ae Declinationis. — Sequentes dativi motus finem indicantes apud Vergilium inveniuntur :

Neci : A. II, 85 « Insontem demisere *neci*. » XII, 513 « Ille Talon Tanaïmque *neci* — et maestum mittit Oniten. »

Morti : A. V, 691 et X, 664 « *Morti* demittere. » XII, 464 « Ipse neque aversos dignatur sternere *Morti*. »

Urbi : A. II, 47 « Machina — inspectura domos et ventura desuper *urbi*. » (= ex altis moenibus *in urbem* descendet.) XI, 206 « Corpora partim Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim finitimos tollunt in agros, *urbi*que remittunt. »

Lateri : A. V, 434 « Multa (sc. vulnera) cavo *lateri* ingeminant. » II, 553 « *Lateri* capulo tenus abdidit ensem. »

Telluri : A. XII, 130 « Defigunt *telluri* hastas. » (= in terram).

Igni : A. XI, 194 « Spolia erepta Latinis coniciunt *igni*. »

Lacu : In hanc dativi constructionem cadit forma *lacu* = *lacui*, quae A. VIII, 451 cum locali significatione adhibetur : « Alii stridentia tingunt aera *lacu*, » (= immergunt aenea spicula in lacum, in aquam frigidam). Si quis vero dubitet quin *lacu* pro lacui dativo locali sit accipiendum, conferat Hom. Odyss. IX, 391 ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ μεγάλα ἰσχοντα.

Consessu : V, 290 « quo se multis cum milibus heros *Consessu* medium tulit exstructoque resedit. » Ribbeck conicit post *resedit* unum versum perditum esse in quo erat substantivum ad *exstructo* relativum, v. g. *toro*, atque ita *consessu* dativum directionis esse = in contionem. Quae coniectura valde mihi probanda videtur, quod nusquam consessus sedem significat. Attamen, ut nunc est Vergilii locus, *consessu* solum cum *exstructo resedit*, ut abl. loci, construi potest.

Ex his igitur patet formas dativi ex 1^a, 2^a, 3^a (et etiam 4^a)

declinatione depromptas a Vergilio ceterisque poetis ad locum in quem actio vel motus dirigitur exprimendum usurpatas esse.

Huius vero usus causam et originem si pervestigare volumus, res paulo fusius explananda, et hic quoque ad antiquitatem est remigrandum.

Omnes illi dativi id commune habent, quod in *i* exeunt. Nemo enim ignorat nomina primae declinationis antiquitus ita declinari :

Nom. *terra* ; G. *terrai* ; D. *terrai* ; Ab. *terrad* ; Ac. *terram*. Forma *terrai* in *terrae* per infirmationem mutata fuit. Ex Ennio dativi formas *terrai frugiferai* profert grammaticus Charisius I, 10, p. 7. (Cf. Vanicek, *Elementar Gramm. der lat. Spr.* § 4 et 52 ; Kühner, *Ausführliche Gramm. der lat. Spr.* I, § 61, 4). Secundae declinationis dativus *oi* erat. Scribebant enim, ut refert Marius Victorinus : *populoi Romanoi*. Hic vero *oi* in *o* minutum fuit. Unde apparet illa nomina per eandem litteram *i* exire atque *neci, telluri, lateri*, etc.

Non autem errore teneri mihi videar, si has formas quas e Verg. enumeravi, non dativos, sed antiquas esse formas locum designantes, id est, ipsum locativum casum, coniectaverim. Id enim notandum est, per terminationem *i* sanscriticae, latinae et graecae linguae communem, casum formari locativum : Graece χαμαί, latine *humi* ; πέδοι, in terra ; μέσοι, οἴκοι ; Πυθοῖ « in urbe vel in urbem Pytho. » Neque dubitari potest quin adverbia localia *quo, eo, aliquo, intro* etc. antiquitus per *oi* exirent, in quibus idem signum *i* locum significabat.

Quod si illa adverbia, sicut et *terrai, caeloi*, et inde *terrae, caelo*, etc. pro locativis sine dubio habenda sunt, tum et facile demonstrabitur vocabula tertiae declinationis *neci, telluri* etc. eiusdem generis esse. In his enim terminatio locativi immutata remansit : *nec-i, tellur-i, later-i*, vel cum vocali *i* praeeunti per synaeresim concrevit : *igni* = *igni-i*. Unde se-

quitur verba *neci*, *telluri*, *lateri*, *terrai* (terrae) *caeloi* (caelo) eadem ratione locativos esse, qua eae formae quae semper omnibus locativae sunt habitae : *humi*, *domi*, *ruri*, *Carthagini*, *Lacedaemoni*.

Nunc apparet *terrae* cum istis locativis formis similitudo, quae sunt nomina urbium primae declinationis per *ae* exeuntia et locum ubi indicantia, *Romae*, *Antiochiae*, *Albae* etc. ; quae diu pro genetivis habita sunt, donec linguarum comparatione diligentius instituta tandem locativos esse compertum fuit. —

Restat ut paucis exponam quo modo factum sit ut ex iis locativis, alii locum *quo*, alii locum *ubi* indicent. Hoc imprimis statuendum videtur, in antiqua Graecorum et Latinorum lingua locum *ubi* et locum *quo* una eademque nominum terminatione expressum fuisse, quae quidem terminatio *i* fuit. Hanc sententiam comprobatam habebit qui modo latinas formas locum *quo* exprimentes : *eo*, *quo*, *intro*, graecaque adverbia his consimilia ποῖ, ὅποι, οἷ, necnon et verba πέδοι, χαμαί, Πυθοῖ, Μεγαροῖ, Ἰσθμοῖ, quae nunc locum ubi, nunc locum quo significant, intuebitur. Quod etiam magis confirmat singularis illa constructio, qua Homerus locum *quo* per ἐν cum dativo (quod tamen ad locum ubi pertinet) exprimit, cum nos εἰς cum acc. exspectemus. Cf. Il. XXIII, 132 ἂν δ' ἔδαν ἐν δίφροισι παραιβάται ἡνίοχοί τε. Odyss. IX, 470 μῆλα πολλ' ἐν νηῒ βαλόντας ἐπιπλεῖν ἁλμυρὸν ὕδωρ. Quin et simplex dativus post verba eiusdem significationis non raro invenitur : χεῖρ πεδίῳ πέσε. Quod et Latini imitati sunt : nempe post verba motum indicantia abl. pro acc. ponunt : Verg. A. VII, 276 « fulva effundit *harena*. » Lucr. I, 250 « Res omnes discidio redeunt *in corpore* materiai. »

Hinc facile intellegitur qua re *humi* nunc locum *ubi*, nunc locum *quo* exprimat ; posterioris sensus exempla supra proposui : *fundit humi*, *sternere humi* etc. *Terrae* etiam utrumque significat: « Sed *terrae* (non terra) graviora manent peri-

cla. » Locativi autem tertiae declinationis utramque etiam localem relationem indicant : « Ardet apex *capiti*, coniciunt *igni*. »

Nunc igitur rem satis illustrari censeo, neque iam dubio locum esse quin omnes illae formae sive genetivorum sive dativorum consimiles in *ae*, *o*, *i* terminatae locativae sint. Neque solum eas esse locativas formas quisque libens fatebitur, sed ex iis quae disputavi clare intellegetur quo modo verborum forma omnino cum significatione concordet. Apparet etiam has locativi formas non singulari quodam et audaciori poetarum libidine et loquendi temeritate excogitatas fuisse, sed tantum per quamdam religionem ex antiquiori linguae latinae syntaxi servatas et ad recentioris aetatis sermonem a poetis accommodatas fuisse. —

Nunc qua de causa pluralis etiam dativus, in quo nulla iam apparent locativi vestigia, ad motus finem exprimendum adhibeatur, facile intellegi potest. Postquam enim apud Latinos locativi usus et memoria evanuit, atque ipsi, speciosa verborum similitudine in errorem inducti, hanc formam pro dativo habuerunt, pluralem etiam adhibuerunt dativum ad eamdem relationem significandam. Inde apud Vergilium legitur : A. I, 195 « Vina bonus quae deinde *cadis* onerarat Acestes. » (= in cados). II, 276 » Vel Danaum Phrygios iaculatus *puppibus* ignes. » (= in puppes). III, 138 « subito cum tabida *membris* — *arboribus*que lues venit. » IV, 217 « Nos munera *templis* ferimus. » IX, 675 « Ultro invitant *moenibus* hostem. » (= in moenia). X, 684 « *Fluctibus* an mediis se iaciat. » XII, 417 « *fusum labris* splendentibus amnem inficit. » (= in labra). 679 « E curru saltum dedit ocius *arvis*. « (= in arva). VI, 151 « Hunc refer *suis sedibus*. » E. VI, 85 « Cogere oves *stabulis*. »

Tum et congestim cetera Vergilii exempla effero : E. II, 30 « Gregem viridi compellere *hibisco*. Cf. Hor. Od. I, 24, 18 « Quam (sc. imaginem) — nigro compulerit *gregi*. » Sunt

tamen qui *hibisco* pro virga hibisci, qua grex compellitur, habendum esse putent. Censeo autem cum Benoisto *hibisco* dativum esse directionis pro *ad hibiscum*. « L'hibiscus, inquit, est une espèce de mauve dont les chèvres sont très-friandes. » G. II, 188 « Campus editus *austro*. » A. III, 178 « Munera libo intemerata *focis*. » 506 « provehimur *pelago*. » XII, 502 « Non potui abreptum divellere corpus et *undis* spargere. » VI, 297 « Omnem *Cocyto* eructat harenam. » VII, 774 « Trivia Hippolytum nymphae Egeriae *nemori*que relegat. » VIII, 591 « Extulit os sacrum *caelo*. » X, 548 « *caelo* animum ferebat. » (Cf. Enn. Ann. I « (oves) praepetibus sese *pulchreis*que *loceis* dant » (= in loca). XV « Undique conveniunt, velut imber, tela *tribuno*. » (= in tribunum). Lucr. IV. 1179 « *foribus* miser oscula figit. » V. 1006 « Mersari *leto*. » Catul. LXIV, 304 « Postquam niveos flexerunt *sedibus* artus. » Hor. Od. I, 28, 11 « Habent Tartara Panthoiden iterum *Orco* demissum. » III, 16, 13 « Domus ob lucrum demersa *exitio*. » III, 23, 1 « *Caelo* supinas si tuleris manus. » IV, 4, 65 « Merses *profundo*. » Tibul II, 1, 81 « Sancta, veni *dapibus festis*. » 3, 16 « Potum pastas (sc. vaccas) ducere *fluminibus*. » 6, 31 « illius dona *sepulcro* feram. » Ov. Met. III, 695 « Corpora *Stygiae* demittere *nocti*. » 14 « Cadmus descenderat *antro*. » 127 « Iecit humo arma. » Prop. I, 15, 29 « Nulla prius vasto labentur flumina *ponto*. »)

CAP. V.

DE ABLATIVO.

Ea est *ablativi* primaeva et vera significatio ut locum *unde* actio proficiscitur designet ; et is quidem casus ablativo sanscriticae linguae respondet.

Ceterae autem significationes, instrumentum scilicet et locus, non originales, sed adventitiae sunt. Lingua enim latina, ut et sanscritica, non sex, sed octo casus habebat, quorum *ablativus* separationem, vel locum *unde* quis proficiscitur, *locativus* locum *ubi* quis est (vel quo tendit), *instrumentalis instrumentum* quo quid agitur, significabant.

Locativus vero et instrumentalis cum posterius, propter exitus similitudinem cum ablativo, cecidissent, ablativus eorum partes sibi gerendas accepit, atque in eo quaerenda est causa cur idem casus tam dissimiles habeat significationes, ut locum simul *unde*, locum *ubi* et *instrumentum* indicet.

Ablativus igitur sub hoc triplici respectu est considerandus atque ita eius usus distribui potest :

1° *Ablativus proprius*, sive loci *unde*, sive etiam *causae* et *principii* ;

2° *Ablativus instrumentalis* ;

3° *Ablativus locativus* relationem loci vel temporis indicans, et ad quaestionem *ubi* et *quando* respondens.

§ 1. — Ablativus proprius.

I. Ablativus exprimit locum *unde* actio proficiscitur, unde aliquid removetur et excedit post verba *eundi*, *proficiscendi* et *separandi* ; quo pertinent nomina locorum et his cognata, *domo*, *rure*, deinde et aliae notiones, quae quanquam non semper ipsae locum exprimunt, pro locis tamen unde aliqua actio procedit, metaphorice accipiuntur.

A. — *Verba proficiscendi.*

Nomina quae *urbem* et *parvam insulam* designant, et quaedam appellativa ponuntur in ablativo : Cic. Tusc. V, 37 « Demaratus fugit Tarquinios *Corintho*. » Verr. II, 1, 18 « Dolabella *Delo* proficiscitur. » Brut. 89 « Philo *domo* profugit. » Fam. V, 10 « Cum Tullius *rure* redierit. »

Cetera nomina cum praep. *a*, *de*, *ex*, a pedestris orationis scriptoribus construuntur. Excipiuntur tamen certa quaedam verba quae etiam in prosa cum ablativo solo coniunguntur (praep. etiam admittunt) : *cedo*, (loco, ex loco), *excedo* (urbe, ex urbe). Iis vero verbis praep. *ab* subnectitur, cum ad personas spectant ; praep. saepissime iterum omittitur, cum sensu translativo aut primitiva significatione aliter mutata accipiuntur.

Vergilius vero nunc vulgarem constructionem admittit, nunc ab illa discedit, prout haec vel illa constructio magis ad numerum accommodatur. Saepius praepositionem omittit post verba proficiscendi ante nomina quibus in prosa oratione subiungi solet, praesertim cum locali significatione usurpantur.

A) *Verba proficiscendi simplicia :*

A. III, 121 « Fama volat pulsum *regnis* cessisse *paternis.* » IV, 130 « It *portis* iubare exorto delecta iuventus. » IX, 18 « Quis te mihi *nubibus* actam Detulit in terras ? » G. III, 104 « Ruunt effusi *carcere* currus. » G. II, 187 « Huc summis liquuntur rupibus amnes. » I, 485 « Aut *puteis* manare cruor cessavit. » A. I, 340 « Dido *Tyria urbe* profecta. » A. II, 8 « Et iam nox humida *caelo* praecipitat. » IV, 25 « Tum flumina *mento* senis praecipitant. » A. II, 250 « Vertitur interea caelum et ruit *Oceano* nox. » (= ex Oceano surgit.) 260 « Laetique cavo se *robore* promunt. » 739 « *Erravitne via*, seu lassa resedit Incertum. » VI, 191 « Ipsa sub ora viri *caelo* venere volantes. » G. I, 366 « Praecipites *caelo labi* stellas. » E. VI, 38 « Altius atque *cadant* submotis *nubibus* imbres. » E. I, 64 « *Nostro* illius labatur *pectore* vultus. » A. XII, 516 « hic fratres *Lycia* missos et Apollinis *agris*. » G. IV, 80 « Non densior *aere* grando pluit. » A. I, 394 « Aetheria lapsa *plaga* Iovis ales. »

B) *Composita :*

E. VII, 56 « At si formosus Alexis *Montibus his abeat.* » A. IV, 159 « Aut fulvum *descendere monte* leonem. » G. II, 474 « Iustitia *excedens terris.* » A. I, 2 « *Egressus silvis.* » Nunquam fere verba *egredi, exire, eicere* cum simplici ablat. ab aureae aetatis scriptoribus construuntur. A. I, 26 « Necdum — saevique dolores *exciderant animo.* » VI, 339 « *exciderat puppi.* » II, 658 « Tantumque nefas *patrio excidit ore.* » I, 357 « Tum celerare fugam *patria*que *excedere* suadet. » III, 72 « *Provehimur portu*, terraeque urbesque recedunt. » A. IX, 32 « Cum *refluit campis* et iam se condidit alveo (Nilus). » X, 330 « Partim *galea clipeoque resultant* » V, 139 « *Finibus* omnes, haud mora, *prosiluere suis.* » G. II, 520 « *Glande* sues laeti *redeunt.* » Iungere tamen potes : *glande laeti.* G. III, 11 « Aonio *rediens vertice.* » E. I, 34 « Quamvis

multa meis *exiret* victima *saeptis.* » A. VI, 259 « Totoque *absistite luco.* » *Absistere* Verg. cum simplici abl. construere solet; cum *ab* uno loco A. XII, 102 « totoque ardentis *ab ore* Scintillae *absistunt.* » E. IV, 7 « Iam nova progenies *caelo* demittitur alto. » E. VIII, 14 « Frigida vix *caelo* noctis *decesserat* umbra. » E. VI, 86 « Invito *processit* Vesper *Olympo.* »

B. — *Verba separandi.*

A) *Simplicia* :

A. I, 31 « (Iuno) Troas — *arcebat* longe *Latio.* » G. III, 131 « Equos *fontibus arcent.* » A. I, 300 « Ne fati nescia Dido *Finibus arceret.* » V, 742 « Aut quis te *nostris complexibus arcet?* » VI, 316 « Ast alios — *arcet harena.* » VIII, 73. XI, 826. VII, 779. Semel cum praep. *ab.* G. IV, 168 « Ignavum fucos pecus *a praesepibus arcent.* » *Arcere* Cic. cum *ab* construit, si metaphorica loci inest significatio : In Cat. I. extr. « Tu, Iuppiter, hunc *a tuis aris, a tectis* urbis, *a moenibus, a vita fortunis*que civium *arcebis.* » Si vero proprie locus significatur, plerumque abl. sine praep. ponit: *arcere sedibus, Gallia, reditu.* G. II, 130 « Ac *membris agit* atra venena. » 139 « tauri *spirantes naribus* ignem. » A. IX. 384 « fallitque timor *regione* viarum. » A. I, 562 « *Solvite corde* metum, Teucri, secludite curas. » A. III, 249 « Et *patrio* Harpyias insontes *pellere regno.* » V, 98 « Vina *fundebat pateris.* » V, 17, 8 « Ut *fundo* vix tandem redditus imo est. » A. I, 517 « Cunctis nam *lecti navibus ibant.* » G. IV, 102 « *Castris vellere* signa. » A. III, 27. E. IX, 65 « Ego *hoc* te *fasce levabo.* »

B) *Composita* :

A: A. I, 38 « Nec posse *Italia* Teucrorum *avertere* regem? » G. II, 172 « Imbellem *avertis Romanis arcibus* Indum. » A.

III, 621. « Di, talèm *terris avertite* pestem ! » Hoc verbum in prosa oratione semper cum praep. *ab* construitur. Poetae vero simplicem ablat. ponere solent. Verg. tamen solitam cum *ab* constructionem adhibet A. VIII, 208 « Quattuor *a stabulis* — tauros *avertit*. » — A. II, 165 « Fatale aggressi *sacrato avellere templo* Palladium. » 558 « *Avulsum umeris* caput. » 608 « *Avulsa saxis* saxa. » V. 585 « *Umeris abscindere* vestem. »

De : A. III, 317 « Quis te *deiectam coniuge tanto* Excipit ? » IV, 152 « Ferae, saxi *deiectae vertice*. » G. II, 121 « Vellera *foliis depectant* tenuia Seres. » A. VI, 141 « Quam qui *decerpserit arbore* fetus. » V, 501 « *depromunt* tela *pharetris*. » I, 145 « *detrudunt scopulo* naves. » E. VI, 71 « *deducere montibus* ornos. » XI, 175 « Sed infelix Teucros quid *demoror armis* ? » (= *ab armis*). Cf.Stat, Theb. IV, 774 « Sed quid ego haec fessosque *demoror undis* ? » A. IV, 268 « Ipse deum tibi me claro *demittit Olympo*. » G. II, 242 « Colaque prelorum *deripe tectis*. »

Di : A. III, 266 « Tum *litore* funem diripere iubet. » A. III, 589 « Umentemque Aurora *polo* dimoverat umbram. » IV, 7, id.

Cum : A. V, 213 « qualis *spelunca* subito commota columba. » A. II, 465 « Convellimus *altis sedibus* turrim. »

Ex : A. V, 215 « exterrita *tecto*.. » A. I, 443 « Effodere *loco* signum. » II, 297 « Aeternum *adytis* effert *penetralibus* ignem. » II, 302 « Excutior *somno*. » III, 230 « Excutimur *cursu*. » VI, 78 « Magnum si *pectore* possit Excussisse deum.» I, 620 « *Finibus* expulsum patriis. » II, 460 « Summisque sub astra eductam *tectis* (sc. turrim). » E. I, 109 « Ecce *supercilio* clivosi tramitis undam Elicit. » E. VI, 63 « Atque *solo* proceras erigit alnos. » G. II, 341 « Terrea progenies duris caput extulit *arvis*. » A. III, 215 « Pestis Stygiis sese extulit *undis*. » G. I, 379, 512. E. VIII, 99 « animas excire *sepulcris*. »

Pro : A. VII, 459 « Proruptus *toto corpore* sudor. » Primus hoc loco Verg. *prorumpere* cum simplici abl. construxit; tum saepius apud Tacitum constructio occurrit. A. I, 540 « *Hospitio* prohibemur harenae. » G. IV, 105 « Instabiles animos *ludo* prohibebis inani. » Verg. rem prohibitam cum verbo *prohibere* in ablativo cum vel sine praep. *ab* construit. Cf. A. VII, 313 « Non dabitur *regnis*, esto, prohibere *Latinis*. » G. III, 398 « Multi iam excretos prohibent *a matribus* haedos. » A. I, 525 « prohibe infandos *a navibus* ignes. »

Re : Vergilius libenter verba separandi cum *re* composita cum simplici ablat. construit : G. I, 275 « Atrae massam picis *urbe* reportat. » A. II, 115. id. IV, 88 « ubi ductores *acie* revocaveris ambo. » Cf. Liv. XXV, 36, 1 « Revocat *proelio* suos Scipio. » Tac. Agr. 18 « revocare aliquem *possessione* insulae. » A. II, 12 « Animus *luctu* refugit. » 545 « telum *aere* repulsum. » I, 358 « Auxiliumque viae veteris *tellure* recludit. » IV, 545 « Quos Sidonia vix *urbe* revelli. » G. II, 312 « ima revirescere *terra*. » A. I, 679 « *pelago et flammis* restantia Troiae. » *Pelago et flammis* dativum esse Conington censet, quod *restare*, sicut *superesse*, dativum exigit. Benoistus videtur dativo favere, nam confert V, 645 « *Iliacis erepta ruinis*, » ubi *ruinis* dativus est. A. V, 99 « Manes *Acherunte* remissos. » 178 « *fundo* redditus imo. » 409 « tum senior tales referebat *pectore* voces. » X, 473 « Oculos Rutulorum reicit *arvis*. » A. IV, 244 « lumina *morte* resignat. » (= a morte) ; mors enim oculos claudit et premit ; ille autem oculos a morte resignat, ne claudantur, in vitam revocat iam morientes. Locus interpretatu difficillimus. Cf. adnot. Benoisti et additam de loco notam in addendis et corrigendis vol. III, p. 441. Inter diversas interpretationes quisque eam quae magis placet eligat. Sunt tamen quae omnino mihi reiciendae videntur. Non assentior his qui *resignat morte* idem esse atque « in morte solvit oculos » volunt. Hoc enim a significatione verbi resignare abhorret. Neque Iahnii et Ladewigii interpretationem

possum admittere, qui volunt *resignare* idem valere ac *iterum signare*. *Signare* = premere et claudere, *resignare* = signum frangere et aperire. Errant qui huic verbo aliam significationem addicere conantur. Sic Georges in suo Lexico, nostrae interpretationi convenienter, transfert : « Mercurius löst die sich schliessenden Augen vom Tode, d. i, lässt das sich brechende Auge nicht sterben. »

Ubi vero ablativo eadem atque dativo forma est, saepe fit ut in poetica oratione non discerni possit utrum ablativum an dativum poeta adhibuerit. Poetae enim libenter locales relationes personaliter interpretantur, id est, locum tanquam personam quae subiecto opposita actione verbi tangitur, dativo commodi exprimunt. Sic, v. g., A. V, 722 « *Caelo* facies delapsa parentis, » *caelo* pro dativo poetice interpretari licet, quod gallicae locutioni respondet » échappé au ciel. » *Caelum* tanquam persona est, quae ex se hanc faciem demitti passa est.

E. VI, 16 « Serta *capiti* delapsa; » in incerto relinquitur utrum *capiti* dativus an locativus sit. *Capiti* enim pro antiqua ablativi forma haberi possit = *a capite*. Sed locum tamen ad dativum commodi supra retuli, quae magis poetica et audacior simul videtur constructio, si *capiti* pro dativo habeatur, ita ut *caput* personaliter conceptum et tanquam persona sit, cui id accidit ut serta caderent. Silius Vergilium imitatus est XVI, 435 « Veluti delapsa corona victoris *capiti* foret. » Ovid. Met. VI, 592 « *Lateri* cervina *sinistro* Vellera dependent. »

Verbis *proficiscendi* et *separandi* aliquando etiam addit Vergilius praepositionem :

A : A. II, 41 « Laocoon ardens summa decurrit *ab arce*. » 375 « Vos celsis primum *a navibus* itis. » III, 24 « Viridemque *ab humo* convellere silvam conatus. » Cf. *humo* sine praep. III, 3 « Omnis *humo* fumat Neptunia Troia. » V, 838 « Cum levis *aetheriis* delapsus Somnus *ab astris*. » II, 480 « Postes *a*

cardine vellit. » III, 149 « Quos mecum *a Troia mediisque ex ignibus* urbis Extuleram. » VI, 55 « Funditque preces rex *pectore ab imo*. » G. IV, 523 « *Marmorea* caput *a cervice* revulsum. » E. VII, 6 « Dum teneras defendo *a frigore* myrtos. » Cf. *defendere alqd alicui* E. VII, 47 « Solstitium *pecori* defendite. » E. VII, 15 « Depulsos *a lacte* — agnos. » G. II, 497 « Aut coniurato descendens Dacus *ab Istro*. » A. VII, 674 « Ceu duo nubigenae cum *vertice* montis *ab alto* Descendunt. » VIII, 319 « Primus *ab aetherio* venit Saturnus *Olympo*. » 423 « Ignipotens *caelo* descendit *ab alto*. » 541 « Aeneas *solio* se tollit *ab alto*. » IX, 565 « Agmen *a stabulis* rapuit lupus. » 643 « *Ab alto aethere* se mittit Apollo. » X, 46 « Liceat demittere *ab armis* Incolumem Ascanium. » XI, 499 « *Ab equo* desiluit. » 724 « Labuntur *ab aethere* plumae. » 743 « Dereptumque *ab equo* dextra complectitur hostem. » XII, 851 « demisit *ab aethere summo* Iuppiter. »

De : A. V, 606 « Irim *de caelo* misit Saturnia Iuno. » VI, 85 « Mitte hanc *de pectore* curam. » 460 « Invitus, Regina, *tuo de litore* cessi. » 805 « Agens *celso de vertice* tigres. » II, 526 « Ecce autem elapsus Pyrrhi *de caede* Polites. » IV, 164 « Ruunt *de montibus* amnes. » E. I, 84 « Maioresque cadunt *de montibus* umbrae. » A. VII, 725 « Quos *de collibus altis* Aurunci misere patres. » 742 « Raptus *de subere* cortex. » IX, 23 « Summoque hausit *de gurgite* lymphas. » 413 « Calidum vomens *de pectore* flumen. » X, 187 « Cuius olorinae surgunt *de vertice* pennae. » 342 « Telo fratris *de corpore* rapto. » 486 « Ille rapit calidum frustra *de vulnere* telum. » 707 « *De montibus altis* actus aper. » XII, 208 « Sceptrum in silvis *imo de stirpe* recisum. » 421 « Omnis *de corpore* fugit Quippe dolor. » 522 « *De montibus* omnes Dant sonitum. »

Ex: A. XI, 239 « Legatos Aetola *ex urbe* remissos. » G. I, 361 « Cum medio celeres revolant ex aequore mergi. » XI, 198 « raptas *ex omnibus agris* pecudes. » A. IV, 263 « Laena

demissa *ex umeris*. » IV, 625 « Exoriare aliquis *nostris ex ossibus* ultor. » XII, 766 « Servati *ex undis*. » 255 « praedamque *ex unguibus* ales Proiecit fluvio. » III, 176 « Corripio *e stratis* corpus. » V, 632 « Rapti nequicquam *ex hoste* Penates. » VIII, 415 « *Mollibus e stratis* opera ad fabrilia surgit. « XII, 324 « Aenean cedentem *ex agmine*. » 679 « *E curru* saltum dedit. » G. II, 205 « Non *ullo ex aequore* cernes Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis. » 389 « Oscilla *ex alta* suspendunt mollia *pinu*. »

Pendere, cum abl. simplici ad poeticam linguam pertinet. E. VII, 24 « Hic arguta *sacra pendebit* fistula *pinu*. » A. V, 393 « Spolia illa *tuis pendentia tectis*. » G. II, 89 « Non eadem *arboribus pendet* vindemia *nostris*. » A. X, 303 « puppis — *dorso* vadi *pendet iniquo*. » XII, 374 « dum trahitur *pendet*que *iugis*. » VI, 617 « *radiis* rotarum districti *pendent*. » I, 715 « ubi *complexu* Aenae *collo*que *pependit*. » II, 546. E. IV, 29. A. VIII, 659.

Tum Verg. praep. admittit : *ab*: A. V, 511 « *Malo pendebat ab alto*. » *de* : E. I, 77 « Non ego vos posthac — dumosa *pendere* procul *de rupe* videbo. » *ex*: A. X, 331 « Dexteraque *ex umero* — moribunda *pependit*. » *in* : A. I, 106 « Hi summo *in fluctu pendent*. » A. VII, 184 « Multa arma, captivi currus *in postibus sacris pendent*. » E. I, 38 « Cui *pendere* patereris *in arbore* poma. » *In arbore* significat poma, absente ruris domino, in arbore videri relicta, tum cum iamdiu collecta esse deberent, nec fere cum *pendere* cohaeret.

Suspendere eadem ratione Verg. nunc sine, nunc cum praep. construit. Sine praep : E. II, 66 « aratra *iugo suspensa*, » A. I, 318 « *Umeris* habilem *suspendit* eburnum.» X, 512 «*Curru*que abscissa duorum *suspendit* capita. » A. VII, 810 « *fluctu suspensa* tumenti. » G. I, 175 « suspensa *focis* robora. » — Cum praep. *ab* : A. V. 489 « Volucrem columbam — malo *suspendit ab* alto. » *ex* : A. X, 575 « Spiculaque *ex umero* parvae *suspendit* et arcum. » G. II, 189 « Oscilla *ex alta suspendunt* mollia *pinu*. »

Procul cum simplici abl. poetarum est, praecipue Augustaneae aetatis. Livius locutionem in prosam orationem induxit; superiorum aetatum scriptores cum *ab* construunt. Verg. absolute adverbium usurpat; semel cum *ab* : E. X, 46 « Tu *procul a patria.* » sine praep. G. II, 458 « procul *discordibus armis.* »

In omnibus iis locis, in quibus Vergilius praepositionem ablativo iungit, localis relatio propria, non metaphorica est.

Unde id de poetarum usu statuere possumus : ablativum simplicem ponunt post verba *eundi* et *separandi* quae in prosa oratione aureae aetatis praepositionem requirunt ; sed et solitam praepositionis constructionem admittunt, prout ratio versus postulat. Quod ad Vergilium pertinet, ex allatis locis colligi potest eum, si de propria et physica loci notione agatur, praepositionem ponere vel omittere ; si vero metaphorica significatione verbum usurpetur, praepositionem plerumque omittere.

Apud prosaicos scriptores ea lex valet ut, si verbum propriam loci notionem contineat, praepositio ponatur, si vero metaphoricam, simplex ablativus saepius construatur. Ab ea lege tamen ipsi aureae aetatis scriptores interdum deflectunt. Scriptores autem posterioris aetatis (Livius et Tacitus imprimis) poetarum usum imitantur. Apud Livium iam praevalet et frequentior occurrit simplicis ablativi constructio post verba quae a Cicerone et Caesare cum praep. construuntur. Cf. Liv. I, 55, 4 « unumque eum deum non *evocatum sacratis* sibi *finibus.* » XXVII, 50, 9 « senatum *curia exciverunt.* » IX, 22, 7 « ut uno ictu exanimem *equo* praecipitarent. »XXVI, 19, 11 « *ostiis Tiberinis* profectus. » XXVIII, 6, 10 « velut *monte praecipiti devolutus.* » etc. Cf. Kühnast, *Liv. Synt.* p. 165 sqq. Cf. etiam Hildebrand's Programm zu Dortmund : *Ueber einige Zeitwörter welche bei Cicero, Caesar, und Livius mit dem blossen ablativ und den praepositionen a, de, ex verbunden werden.*

Tac. H. III, 29 « Cum tela *testudine laberentur.* » A. XV, 54 « *Promptum vagina* pugionem. » A. II, 17 « Cherusci *collibus detrudebantur.* » II, 34 « *Processit Palatio.* » XIII, 44 « *Cubiculo prorumpit.* » G. 21 « Apud Germanos quemcumque mortalium *arcere tecto* nefas habebatur. »

Ut clarius quid de poetarum usu tenendum sit videas, hic pauca ex Plaut. Ter. Lucr. Catul. Prop. Hor. Tibul. adieci.

Plaut. Asin. I, 2, 9 « *Elavi bonis.* » Most. III, 1, 69 « *Urbe exsulatum.* « Pers. IV, 4, 17 « *Evortes* tuo arbitratu homines *fundis, familiis.* » Truc. IV, 3, 10 « *Vinclis exsolvemini.* » Amph. I, 1, 89 « Animam omittunt prius quam *loco demigrent.* » Pers. IV, 3, 14 « Iam *manu emisisti* mulierem.

Ter. Hec. IV, 2, 23 « Me *hac suspicione exsolvam.* » Phor. IV, 5, 10 « Nos *nostro officio* non digressos esse. » Andr. II, 5, 12 « *Uxore excidit.* » etc. Cf. Holtze, *Synt. priscorum script. lat.* I, p. 38 sqq. cf. et « *De ablativi apud Terentium usu,* auctore Heinrichs, Elbingae 1859. »

Lucr. sine praep : I, 170 « At nunc *seminibus* quia *certis* cuncta *creantur.* » Cf. « *ex omnibus* omnia gigni. » 184 « Primordia quae possent *arceri tempore iniquo.* » 195 « *Secreta cibo* tellus. » 371 « Nec te *deducere vero* possit. » 725 « *Faucibus eruptos* igneis. » II, 18 « *Corpore seiunctus* dolor. » 19 « *Cura* semota metuque. » 44 « Timefactae religiones *effugiunt animo* pavidae. » I, 163 « *Erumpere caelo* armenta possent. » — Cum praep : I, 46 « Te *semotum a curis* adhibe, Memmi. » 104 « Tutemet — *a nobis desciscere* quaeres. » 162 « *E mare* primum homines, *e terra* possent *oriri* squamigerum genus. » 721 « Mare angusto fretu *dividit* Aeoliae terrarum oras *a finibus* eius. « (sc. Siciliae.) » II, 383 « Ignis — *e taedis* terrestribus *ortus.* »

Catull. sine praep : LXII, 21 « qui natam possis *complexu avellere* matris. » LXIII, 18 « Mora tarda *mente cedat.* » 59 « *Bonis, amicis, genitoribus abero* ? » LXIV, 5 « Auratam

optantes *Colchis* avertere pellem. » 155 « quod mare conceptum *spumantibus exspuit undis* ? » — Cum praep : LXIV, 14 « *Emersere* feri *candente e gurgite* vultus. » 18 « Nutricum tenus *exstantes e gurgite* cano. » 66 « Omnia quae *toto delapsa e corpore* passim. » 76 « *Egressus* curvis *e litoribus* Piraei Theseus. »

Hor. sine praep : S. I, 1, 14 « *Carceribus missos* — currus. » Epod. XI, 10 « *latere petitus imo* spiritus. » Od. II, 2, 15 « nisi causa morbi *fugerit venis* et aquosus *albo corpore* languor » Od. II, 19, 11 « atque *truncis lapsa cavis* iterare mella. » Od. I, 17, 15 « hic tibi copia *manabit* ad plenum *benigno* ruris honorum opulenta *cornu.* » S. I, 1, 118 « et *exacto* contentus *tempore* vitae *cedat.* » Epist. II, 3, 53 si *graeco fonte cadant* parce detorta. » S. I, 6, 13 « unde superbus Tarquinius *regno pulsus* fugit. » Epod. XVII, 45 « *solve* me *dementia,* » etc. — Cum praep : S. I, 6, 39 « audes deicere *e saxo* cives. » Epist. I, 10, 37 « postquam victor violens discessit *ab hoste.* » Epod. V, 23 « et ossa *ab ore rapta* ieiunae canis. » Epist. II, 3, 258 « Non ut *de sede secunda cederet* aut *quarta* socialiter. » Epist. II, 3, 384 « *vitioque remotus ab omni.* » Cf. *De Casuum usu horatiano,* auctore Ebeling, p. 34, sqq.

Prop. sine praep : I, 12, 3 « Tam multa illa *meo divisa est* milia *lecto,* quantum Hypanis Veneto *dissidet Eridano.* » IV, 1, 9 « Quo me Fama *levat terra* sublimis. » IV, 2, 11 « Hannibalemque Lares *Romana sede fugantes.* » 21 « Cur tua *praescripto sevectast* pagina *gyro* ? » — Cum praep : IV, 25, 13 « *Vellere* tum cupias albos *a stirpe* capillos. » I, 10, 9 « Non tamen *a vestro* potui *secedere lusu.* » XIX, 22 « Ne te *abstrahat a nostro pulvere* iniquus Amor. »

Tibull. sine praep. I, 2, 19 « Molli *descendere lecto.* » 47 manesque *sepulcris elicit,* et *tepido devocat* ossa *rogo.* » III, 9 « ante quam me *mitteret urbe.* » III, 1, 20 « An minor, an *toto pectore deciderim* ? » I, 4, 32 « *Eleo carcere missus*

equus. » — Cum praep : I, 2, 84 « Sertaque *de sanctis deripuisse focis.* » II, 6, 39 « Qualis *ab excelsa* praeceps delapsa *fenestra.* »

Ex ea igitur loquendi apud omnes vel poetas vel prosaicos scriptores diversitate colligendum esse puto nunquam Latinos de ea re certas leges certumque morem habuisse. Id tantum certo statui potest, inde a Vergilio eum magis ac magis morem invaluisse, ut praepositio omitteretur.

II. — De ablativo *originis et auctoris.*

Ad ablativum proprium, sive loci unde, pertinet ablativus originis qui indicat genitorem et genus. Sed hic ablativi usus ad participia *natus, prognatus, genitus, creatus, ortus, oriundus, satus, editus, cretus,* et verbum finitum *nasci* revocatur. Alia verba raro cum ablativo construuntur. Vergilius hunc usum plerumque observat :

A. I, 286 « *Nascetur pulchra* Troianus *origine* Caesar. » 297 « *Maia genitum.* » VI, 834 « Genus qui ducis *Olympo.* » VII, 331 « Virgo *sata Nocte.* » 656 « *Satus Hercule pulchro.* » VIII, 36. VI, 125, id. VII, 679 « *Vulcano genitum.* » IX, 641 « *Dis genite.* » 734 « quem *generasse* Telon *Sebethide nympha* fertur. » VIII, 59 « *Nate dea.* » 135 « *Electra Atlantide cretus.* » IX, 671 « Pandarus et Bitias, *Idaeo Alcanore creti.* » VIII, 315 « Gens virum *truncis* et *duro robore nata.* » X, 517 « *Salmone creatos* quattuor iuvenes. » 543 id. 563 « Camertem *magnanimo Volcente satum.* » V, 38 « Troia *Criniso* conceptum *flumine* mater quem *genuit.* » Vulgata constructio : concipere de, ex aliquo. Apud Plin. tamen VIII, 16 « *Conceptus leone.* » G. IV, 322 « Quid me *praeclara stirpe* deorum *genuisti ?* »

Apud prosae orationis scriptores eadem viget constructio. Non tamen *cretus* invenitur, nam poeticum est ; raro etiam verbum finitum. Liv. I, 3 « *Latino* Alba *ortus, Alba* Atys, Atye

Capys, *Capye* Capetus, *Capeto* Tiberinus. I, 16 « *Deo natus est.* » Cic. Verr. V, 70, 180 « Non idem mihi licet, quod iis, qui *nobili genere nati sunt.* » Lael. XIX, 70 « Si *parentibus nati sint humilibus.* »

Cf. Enn. Thyest. fr. 6 « *Tantalo prognatus, Pelope natus.* » Ann. inc. 140 « *Saturno* sancte *create.* » VIII, 24 « Poenos *Didone oriundos.* » I, 53 « Te, *sale nata*, precor, Venus. » Lucr. I, 874 « *Alienigenis oriuntur.* » II, 906 « *Mortali corpore creta.* » Ov. Her. VII, 60 « Mater amoris nuda *Cytheriacis edita* fertur *aquis.* »

Cum praep. Praepositio ablativo solet adiungi, si non ipsi parentes et avi, sed remotior origo est describenda. A, I, 626 « Seque *ortum antiqua* Teucrorum *ab stirpe* volebat. » V, 297 « Regius egregia Priami *de stirpe* Diores. » 299 « Alter *ab Arcadio* Tegeaeae sanguine gentis. » VI, 757 « Qui moneant *Itala de gente* nepotes. » 864 « Anne aliquis *magna de stirpe* nepotum. » 875 « Nec puer Iliaca quisquam *de gente.* » VIII, 130 « Quod *ab stirpe* fores geminis coniunctus Atridis. »

G. II, 63-65 abl. originis sine et cum praep : « *Truncis* oleae melius, *propagine* vites Respondent, *solido* Paphiae *de robore* myrtus ; *Plantis* et durae coryli *nascuntur.* »

Cf. Prop. IV, 1, 10 « *A me nata* Musa. « Ov. Met. IV, 282. « Largoque *satos* Curetas *ab imbri.* » I, 615 « Iuppiter *e terra genitam* (sc. vaccam) mentitur. »

Aliquando origo simplici ablativo indicatur, nullo verbo aut participio quocum ablativus cohaereat adiuncto. A. IV, 35 « Aegram nulli quondam flexere mariti, non Libyae, non ante *Tyro.* » X, 141 « *Maeonia* generose *domo.* « 205 « quos *patre Benaco* — Mincius in aequora ducit » (= Mincius ex patre Benaco ducit ortum). I, 666 « Euneum *Clitio* primum *patre.* » III, 604 « Achemenides Troiam *genitore Adamasto paupere* — profectus. » (= ortus genitore Adamasto). Non enim *genitore Adam.* ex *profectus* pendet, sed absolute poni-

tur, ut supra *patre Benaco*. Sententia tamen idem valet ac si dicas patrem eius eum Troiam misisse.

§ 2. — Ablativus instrumenti.

Ablativus *instrumenti* designat id per quod aliquid fit vel agitur.

Instrumenti vero nomine ea omnia comprehenduntur quorum adiumento res aliqua efficitur. Non igitur solam instrumenti proprii vel medii quo quid efficitur notionem ablativus instrumentalis designat, sed et multas alias notiones continet cum hac cohaerentes et affines, ut *causam*, *materiam*, *pretium*, *mensuram*, *modum*, *comitatum*, *virtutem* et *qualitatem*, etc., quae omnia ad instrumenti notionem referri possunt.

A. — *Ablativus instrumenti proprius.*

1. — In multis Vergilii locis medii et instrumenti notio clare apparet, quos non omnes hic afferam ; hoc enim infiniti esset operis. Satis erit dicere Vergilianam constructionem vulgo nihil ab Ciceroniana differre. Quod ex paucis exemplis facile intellegetur. G. I, 351 « Atque haec ut *certis* possimus discere *signis*. » 394 id. 418 « Iuppiter uvidus *austris* densat, erant quae rara. » 423 « Ovantes *gutture* corvi. » II, 62 « Omnes cogendae in sulcum et *multa mercede* domandae. » 237 « *Validis* terram proscinde *iuvencis*. » 281 « Late fluctuat omnis *aere renidente* tellus. » Poetica libertate *fluctuat*, quod *ad aes renidens* pertinet, ad *tellus* refertur; sententia est: « Aes renidens fluctuat per tellurem. » 322 « Cum rapidus sol nondum hiemem contingit *equis*. » 328 « Avia tum resonant *avibus* virgulta *canoris*. » A. I, 268 « Dum res stetit Ilia *regno* »

(= viribus potens, integra remansit). 307 « Explorare quas *vento* accesserit oras. » 405 « Et vera *incessu* patuit dea. » 476 « Troilus fertur *equis*. G. I, 513 id. A. II, 651 « Nos contra effusi *lacrimis*. » III, 692 « Insula *Sicanio* praetenta *sinu* » (= insula, cui Sicanius sinus praetenditur.) V, 87 « Maculosus et *auro* squamam incendebat fulgor. » Abl. *auro* locum tenet adiectivi vel genetivi = « fulgor aureus. » V, 605 « Timuitque exterrita *pennis*. » *Pennis* indicat quo modo columba pavorem significat. » 736 « Huc casta Sibylla nigrarum *multo* pecudum te *sanguine* ducet. » VII, 410 « Quam dicitur urbem *Acrisioneis* fundasse *colonis*. » VIII, 89 « Sterneret aequor *aquis*. » VI, 67 « Non indebita posco Regna *meis fatis*. » Cf. Benoisti translationem in nota ad locum : « Le royaume qui m'est dû d'après les destins qui me dirigent. » Nil tamen, meo iudicio, obstat quin *fatis* dativus sit : indebita fatis = « Non dus à mes destins. » Sed ablativum potius admittet qui conferet eandem constructionem A. VII, 120 « *Fatis* mihi debita tellus. » IX, 166 « Noctem ducet insomnem *ludo*. » XI, 241 « Tum facta silentia *linguis*. » *Linguis* dat. etiam esse possit commodi ; Cf. Pers. IV, 7 « Calidae fecisse silentia *turbae*. » XI, 818 « Labuntur frigida *leto* lumina. » XII, 261 « quos improbus advena *bello* territat. » G. IV, 109 « *Croceis floribus* halantes horti. » Solus Verg. verbum *halare*, hic quidem et A. I, 417, intransitive cum ablativo instrumenti coniunctum usurpavit. E. VI, 35 « Tum durare solum et discludere Nerea *Ponto*. »

Notandae sunt hae locutiones linguae latinae propriae : E. III, 77 « Cum *faciam vitula* pro frugibus. » A. II, 118 « *Animà*que *litandum Argolica*. » Cf. Plaut.Stich. I, 97 « quot *agnis fecerat* ? » Colum. II, 22 « *facere catulo*. » Hor. Od. I, 4, 11 « Fauno decet *immolare* — seu poscat *agna*, sive malit *haedo*. » Liv. XLI, 17, 4 « quadraginta *maioribus hostiis* consules *sacrificare* iussit.

Nota. — Ablativus instrumenti cum praepositione.

Vergilius aliquando ablativo instrumenti praepositionem addit, quod quidem orationi quamdam neglegentiae speciem induit et novitatis. Sensus etiam paulum immutatur; praepositio enim sententiae relationis notionem addit quam exprimere solet.

Cum: A. II, 727 « Ornum *cum ferro accisam crebrisque bipennibus* instant Eruere agricolae. » VI, 359 « *Madida cum veste* gravatum. » Hic vero ablat. instrumenti ad abl. comitatus et adiunctionis referri potest. Hanc Heynii adnotationem Forbigerus laudat: « *Cum veste*: aut ut ea et ipsa undis haustis gravaretur, aut ut *cum* abundet, ut interdum in poetis solet. » Sed A. II, 727 *Cum ferro* instrumentum certo designat, nec in aliam ablativi significationem abire potest. Neque aliam eius praepositionis usus rationem afferre possumus, nisi quod annotat Heynius; *cum* scilicet, ut in poetis solet, abundare videtur. Ceterum eiusdem praepositionis per abundantiam usus apud Graecos invenitur. Cf. Soph. Oed. Rex, 17 οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς ἱερῆς. Eadem ubertate dicendi, A. IV, 588 « Vacuos *sine* remige portus » praep. *sine* omnino abundat, cum adiectivum *vacuus* abl. inopiae sine praep. regat. Exemplum eiusdem constructionis praebet Cicero pro Sext. 38, 82 « Paenulam arripuit, *cum qua* primum Romam ad comitia venerat. » *Cum qua* = qua indutus. Plin. H. N. VII, 20, 19 « Vehicula *cum culleis* onusta. » Cf. etiam Cato R. R. X, 2 « Iuga *cum loris* ornata. » Id. ibid. 77 « *Cum melle* oblinere. » Colum. de Arbor. IV, 5 « Sulcum *cum terra* complere. » Cf. et Ovid. Fast. IV, 695 « Haec modo verrebat *raro cum pectine* pratum. » Sed forsan falsa lectio est, nam locus sic legitur ex Merkellii recognitione: « Haec modo verrebat stantem tibicine villam. »

G. II, 424 « Gravidas *cum vomere* fruges. » Quamvis Forbigerus non cum Wagnero consentiat Servium secuto et *cum* pro praep. habente, Benoistus non etiam huius interpretationis mentionem faciat, ego Coningtoni assentior qui existi-

mat *cum vomere* non temporis, sed instrumenti relationem exprimere, et eorum qui « quom vomere sc. recluditur » interpretantur, explicationem esse frigidam et parum subtilem esse arbitratur (« this is very flat, » inquit). Censeo enim cum Wagnero huic nostrae interpretationi locum a Servio ex Enn. illatum Ann. fr. inc. 69 « Effudit voces proprio *cum pectore* sancto » multum ponderis addere.

Ab : G. I, 234 « Semper sole rubens, torrida semper *ab igni*. » Conington : « *ab igni* is a translation of ἐκ πυρὸς in Eratosthene. Ordinarily we should have expected the abl. instrumenti. » Unum hoc exemplum ablativi instrumentalis cum *ab* apud Vergilium invenio. Apud Ovidium vero permulta occurrunt, quorum haec pauca tantum proferam : Met. XI, 130 « Inviso meritus torquetur *ab auro*. » Trist. I, 2, 47 « Nec levius laterum tabulae feriuntur *ab undis*. » Pont. III, 5, 45 « Ipse quidem Getico peream violatus *ab arcu*. » Item cum verbis neutrius generis quorum passiva significatio est : Met. I, 66 « Pluvioque madescit *ab austro*. » VIII, 514 « Invitis correptus *ab ignibus* arsit. » — Lucr. III, 324 « Haec igitur natura tenetur *corpore ab omni*. » — Prop. IV, 25, 5 « ista sum captus *ab arte*. »

Apud prosae orationis scriptores ea constructio invenitur ; non rara apud Livium : II, 54, 5 « Oppressus *a* tribunicia *potestate*. » XXV, 23, 8 « captus *ab Romanis navibus*. » XXI, 33, 5 : « Simul *ab iniquitate* locorum Poeni oppugnabantur. » Cic. fam. V, 2, 10 « desertus *ab officiis tuis*. » Caes. B. G. III, 13 « *ab aestu* relictae naves. »

In plerisque tamen locis ubi praep. *ab* inducitur, res quae causa et instrumentum actionis est pro persona potest haberi ; aut praepositio, ad generalem significationem reducta, originem, locum unde actio proficiscitur potius quam ipsum instrumentum designat. Quod quidem recte iam a Perizonio ad Sanctium animadversum est p. 678, n. 9 « Praepositio *ab*, inquit, agentem notat, aut summum causam in instrumento sitam. »

Notandum contra: A. I, 312 « Ipse uno graditur *comitatus Achate.* » ubi nomen personae sine praep. cum verbo passivo construitur, pro *ab Achate.* A. II, 580 « Iliadum *turba* et Phrygiis *comitata catervis.* » X, 186 « Cynira et *paucis comitate* Cupavo. » Cic. tamen ipse dicit pro Cael. 14, 34 « Alienis *viris comitate.* » In prosa etiam abl. simplex solet construi, si de servis, satellitibus etc. agitur.

Sub interdum ablativo instrumenti subicitur: tunc ad instrumentalem notionem localis accedit: G. II, 355 « Presso exercere solum *sub vomere.* » A. VII. 378 « Torto volitans *sub verbere* turbo. » V, 436 « duro crepitant *sub vulnere* malae. » *Sub* indicat instrumentum in superiori loco positum. Idem dici potest de ceteris locis ubi eadem constructio non solum apud Vergilium, sed et apud ceteros poetas occurrit. Prop. V, 7, 95 « Haec postquam *querula* mecum *sub lite* peregit. »

In: G. II, 396 « Pinguiaque *in verubus* torrebimus exta colurnis. » A. XII, 99 « Foedare *in pulvere* crines. » VI, 642 « Pars *in gramineis* exercent membra *palaestris.* » Notio loci manifeste cum notione instrumenti coniungitur. A. V, 37 « Horridus *in iaculis* et *pelle* Libystidis ursae. » 179 « madidaque fluens *in veste.* » Praepositione *in* paululum sensus mutatur: non tam instrumentum quam status et habitus designatur.

2. — Tum ablat. instrumenti cum verbis *instruendi, ornandi, — donandi, — delectandi, — erudiendi, — assuescendi, — officiendi* multisque aliis cognatae significationis construitur.

Vestire: G. II, 219 « quaeque *suo* semper viridi se *gramine vestit.* » A. VI, 640 « Largior hic campos aether et *lumine vestit purpureo.* » A. VIII, 160 « *vestibat flore* iuventa genas. »

Instruere: A. III, 471 « Socios simul *instruit armis.* » A. II, 152 « *intructus dolis* et *arte Pelasga.* » A. XII, 124 « *instructi ferro.* »

Donare : Cf. de dativo acquisitionis cum *donare*, p. 115.

Ornare : A. X, 638 « Tum dea umbram *Dardaniis ornat telis.* » A. XII, 344 « Quos Imbrasus ipse — *paribus ornaverat armis.* » E. VII, 25. G. III, 21. G. IV. 276. E. VI, 48.

Hilarare : E. V, 69 « Et *multo hilarans* convivia *Baccho.* »

Assuescere, assuetus : Cum nusquam ablativi forma sit certa, dativus vero certus A. VII, 490, Livius vero, Vergilii imitator, *assuescere, assuefacere* cum dativo coniungat, censeo Vergilium verbum hoc semper cum dativo construere, neque illis assentior qui, ubi incerta forma est, ablativum esse contendunt. Cf. supra, p. 132.

Afficere : A. XII, 352 « Illum Tydides pro talibus ausis *Affecit pretio.* »

Lacessere : « Ventosque *lacessit ictibus.* » A. X, 644 « irritaque virum telis et *voce lacessit.* » A. XII, 85 « Aurigae *manibus lacessunt* pectora plausa *cavis.* » E. III, 51 « Efficiam posthac ne quemquam *voce lacessas.* »

Invitare : A. V, 292 « *invitat pretiis* animos. » Cf. *invitare* cum dat. p. 152.

3. — Cum verbis *nutriendi, vivendi* etc.

Alere : E. III, 30 « *alit ubere* fetus. »

Pascere : A. I, 464 « Animum *pictura pascit inani.* » A. III, 650 « *Vulsis pascunt* (sc. me) *radicibus* herbae. » G. III, 406 « Veloces Spartae catulos acremque Molossum *pasce sero pingui.* » — *pasci* G. III, 528 « *Frondibus* et *victu pascuntur* simplicis herbae. » E. V, 77 « Dumque *thymo pascentur* apes dum *rore* cicadae. » G. III, 231 « *Frondibus hirsutis* et *carice pastus acuta.* » E. IX, 31 « Sic *cytiso pastae* distendant ubera vaccae. »

Vivere : A. VII, 749 « *Vivere rapto.* » IX, 613 id.

4. — Cum deponentibus *utor, fruor, vescor, fungor, potior* et compositis.

Utor : A. I, 64 « Ad quem tum Iuno supplex *his vocibus usa est.* » A. V, 192 « Nunc animos *quibus* in Gaetulis Syrtibus *usi.* » A. VI, 546. XII, 932. IX, 240.

Fruor : A. VII. 90 « *fruitur*que deorum *colloquio.* » G. I, 300 « Frigoribus *parto* agricolae plerumque *fruuntur.* » A. III, 352. VIII, 468. IV, 619.

Vescor : A. I, 546 « Aeneas — *aetheria* si *vescitur aura.* » A. III, 339 id. A. III, 622 « Visceribus miserorum et *sanguine vescitur atro.* A. VIII, 182.

Fungor : A. VI, 886 « *Fungor inani munere.* »

Potior : A. III, 56 « *Auro* vi *potitur.* » A. IV, 217 « Et nunc ille Paris — *rapto potitur.* » A. I, 172 « Troes *optata potiuntur harena.* » A. XII, 642. IX, 267. X, 500. XI, 493. III, 296 « *Coniugio* Aeacidae Pyrrhi *sceptris*que *potitum* » etc.

Haec verba cum acc. construunt superiorum aetatum scriptores, quos et ii, qui post classicam aetatem exstiterunt, imitati sunt. Plaut. Poen. V, 2, 128 « *Uteris*, ut voles, *operam meam.* » Ter. Phorm. 66 « *Meretricem — abusus sis.* » Lucr. V, 1033 « *Vim abuti.* » Apul. Met. VIII, 12, p. 546 « *Nuptias* non *frueris.* » Plin. VIII, 76 « Si *caprinum iecur vescantur.* » Plaut. Most. I, 1, 45 « *Fungi fortunas meas.* » Apul. Met. VIII, 16 extr. « *Timorem perfuncti.* » Tac. Ann. XI, 10 « *Potitus regiam.* »

5. — Cum verbis *pluere, sudare, stillare, fluere, manare* similibusque :

Pluere Verg. cum nominativo construit, quod plane poeticum est G. IV, 80 « Non densior aere *grando* Nec de concussa tantum *pluit* ilice *glandis.* » Cf. Stat. Theb. VIII, 416 « stridentia fundae *saxa pluunt.* » Liv. cum abl. XXIV, 10, 7 « *Pluit sanguine.* » XXXVII, 3, 3 *terra.*

Sudare : G. I, 116 « *Sudant umore* lacunae. » A. II, 582 « Dardanium totiens *sudarit sanguine* litus. » Cf. *sudare* transitive cum acc. G. IV, 30 « *Sudabant* quercus *roscida mella.* »

Tum cum abl. loci unde liquor fluit E. VIII, 54 « Pinguia *corticibus sudent electra* myricae. » G. II, 118 « *Sudantia* odorato balsama *ligno* » Nisi mavis *corticibus* et *ligno* dativos dynamicos esse, ut in « Decedere plaustra *iuvencis.* »

Fluere : G. II, 166 « *Auro* plurima *fluxit* Italia. » G. II, 190 « *Multo fluentes Baccho* vites. » A. VIII, 487 « *Sanie taboque fluentes* necabat. » A. III, 626. IX, 472.

Rorare : A. VIII, 645 « Sparsi *rorabant sanguine* vepres. » XI, 8 « *Rorantes sanguine* cristas » XII, 512 « Capita *rorantia sanguine* portat. » Cf. Ov. Met. III, 177 « *Rorantia fontibus* antra. »

B. — *Ablativus instrumentalis copiae et inopiae.*

6. — Cum *verbis* et *adiectivis* copiae et inopiae.

Nemo non videt ablativum *copiae* ad ablativum causalem sive instrumentalem referendum esse. Per se enim patet eum qui rem aliquam aut hominem impleat aliqua re, hac re, qua impleat, uti pro instrumento.

A) *Verba copiae et inopiae* Vergilius plerumque cum ablativo construit. Attamen, ut in capite « de genetivo copiae » vidimus, quaedam eius generis verba per analogiam cum *plenus*, cum genetivo etiam coniungit.

Implere : (Cf. de genet. post verba copiae p. 94). *Complere* et *explere* cum ablativo construuntur. Hor. etiam semper ablativum adhibet.

Abundare : G. IV, 139 « Ergo *apibus fetis* idem atque *examine multo* Primus *abundare.* » Cf. E. II, 20 cum gen : « *lactis abundans.* »

Fluere huc pertinet, vide supra.

Natare : G. I, 371 « Omnia *plenis* Rura *natant fossis.* » A. III, 625 « *Sanie* aspersa *natarent* Limina. »

Undare : G. II, 437 « Et iuvat *undantem buxo* spectare

Cytorum. » *Inundare* : A. VII, 382 « Nec *inundent sanguine* fossae. »

Exuberare : G. II, 516 « Nec requies quin aut *pomis exuberet* annus » A. VIII, 465 « Alte *spumis exuberat* amnis. »

Complere semper cum abl. : A. II, 20 « Cavernas uterumque *armato milite complent.* » A. III, 645 « *Complent* se *lumine* cornua Lunae. » A. VII, 395 « *Ululatibus* aethera *complent.* » A. V, 107 « *Complerat* litora *coetu.* » A. VI, 712 « Quive viri *tanto complerint agmine* ripas. »

Replere semper cum abl. : A. II, 679 « *Gemitu* tectum omne *replebat.* » A. IV, 189 « Haec tum multiplici populos *sermone replebat.* » A. VII, 502. XI, 380 « Sed non *replenda* est curia *verbis.* »

Saturare : G. I, 80 « Ne *saturare fimo pingui* pudeat sola (arida). » E. X, 30 « Nec *cytiso saturantur* apes, nec *fronde* capellae. » Cf. A. V, 608 « *Saturata dolorem.* »

Respergere : A. VII, 547 « *Respersi sanguine* Teucros. »

Cumulare : A. V, 532 « Acesten *muneribus cumulat magnis.* » XI, 50 « *Cumulat* altaria *donis.* » A. VIII, 284 « *Cumulant lancibus* aras. »

Onerare : Cf. *onerare* cum dat. p. 117.

Augere : A. VII, 111 « Et Cereale solum *pomis agrestibus augent.* »

Egere : Cf. de genet. copiae, p. 94. Cic. *egere* cum abl. construere solet.

Indigere semel Verg. adhibet, et quidem cum genet. Cf. p. 94.

Carere semper cum abl. : A, IX, 540 « in partem quae *peste* caret. » XII, 209 « sceptrum hoc — cum semel in silvis imo de stirpe recisum *Matre caret.* » A. V, 173 « Nec *lacrimis caruere* genae. » G. I, 435. A. IV, 432. A. V, 651. II, 44. VI, 333. G. IV, 255. IV, 472.

B) Tum *adiectiva copiae* et *inopiae*, sicut et verba, Verg. cum utroque casu construit.

Plenus cum abl. G. II, 4 « Huc, pater o Lenaee, *tuis* hic omnia *plena Muneribus*. » A. V, 311 « Pharetram *plenam sagittis Threiciis*. » G. IV, 181 « (apes) crura *thymo plenae*. » A. IX, 456 « *Plenos* spumanti *sanguine* rivos. » — *Fecundus* : G. II, 446 « *Fecundae viminibus* salices. » *Viminibus* pro dativo accipias licet. Cf. G. IV, 129 ; supra p. 90 et 137. Incertus est etiam casus G. II, 222 « *Ferax oleo*. » Et G. IV, 128 « Seges *fertilis iuvencis*. Cf. ibid. — *Largus* semel cum obiecto, et quidem genet. A. XI, 333. — *Dives* cum abl. A. IV, 38 « *Dives* terra *triumphis*. » X, 201. Cum gen. vide supra p. 90. — *Opulentus* : A. I, 447 « Templum *donis opulentum* et *numine* divae. » A. VIII, 475 « *Opulenta regnis* castra. » — *Onustus* : A. I, 289 « Hunc tu olim caelo, *spoliis* orientis *onustum* Accipies. » — *Inops animi* A. IV, 300 ad locativum referendum. — *Cassus* : A. II. 85 « Nunc *cassum lumine* lugent. » XI, 104 « Nullum cum victis certamen et *aethere cassis*. »

7. — Ad verba inopiae referenda sunt *opus est*, *usus est aliqua re*, quae et ablat. instrumenti requirunt. Nam *opus est* proprie significat : est labor, opus, negotium, officium, id est, necessarium est, cui graeca respondet locutio ἔργον ἐστί. Persona cui necessarium est aliquid in dativo ponitur. Apud Vergilium haec sunt exempla : A. VI, 261 « Nunc *animis opus*, Aenea, nunc *pectore firmo*. » IX, 147 « Non *armis* mihi Vulcani, non mille *carinis opus est* in Teucros. » A. VIII, 441 « Nunc *viribus usus*. »

Vergilius ceterique poetae aliis vocabulis, adiectivis scilicet, atque ea quae vulgo prosaicis scriptoribus usurpantur, copiam exprimunt atque ita aliam notionem una cum notione copiae coniungunt. Ea ratione Verg. construit :

Potens : A. I, 53 « Terra antiqua *potens armis* atque *ubere*

glebae. » VI, 727 « *Parvo*que *potentem* Fabricium. » VII, 56 « Turnus *avis atavis*que *potens*.» — *Felix* : VII, 725 « Vertunt *felicia Baccho* Massica. » — *Fetus* : A. II, 238 « Scandit fatalis machina muros *feta armis*. » A. I, 51 « Loca *feta* furentibus *austris*. » — *Laetus* : G. II, 112 « Litora *myrtetis laetissima*, » nisi *myrtetis* dativum esse commodi mavis. — G. II, 184 « Pinguis humus dulcique *uligine laeta*. » — *Turbidus* : G. II, 137 « *Auro turbidus* Hermus. » — *Pinguis* : G. II, 139 « Totaque *turiferis* Panchaia *pinguis harenis*. » — *Frequens* : G. II, 185 « Quippe *frequens herbis* et fertilis ubere campus. »

8. — Ablativus instrumenti *expletivus*.

Vergilius saepe quaedam nomina in instrumentali ablativo enuntiationi addit, quibus carere posset oratio, sed quibus tamen notio verbi completur, formula augetur simul et ornatur : e. g. *voce*, *ore* cum verbis loquendi, *manu* cum verbis *capiendi*, iaciendi, etc. Haec abundantia optime ad poeticam orationem accommodatur.

Ore : A. I, 559 « Cuncti simul *ore* fremebant Dardanidae. » A. I, 614 « (Dido) sic *ore* locuta est. » II, 521 « Sic *ore* effata. » III, 842 « Funditque has *ore* querelas. » VI, 76 « Finem dedit *ore* loquendi. » IX, 318 « Prior Hyrtacides sic *ore* locutus. » XI, 123 id. XI, 190 « *Ore* dedere ululatus. » 754 « Sibilat *ore*. »

Manu : G. III, 420 « Cape saxa *manu*, cape robora, pastor. » IV, 329 « Ipsa *manu* felices erue silvas. » A. II, 320 « Sacra *manu* victosque deos parvumque nepotem Ipsa trahit. » 459 « Tela *manu* iactabant irrita Teucri. » VI, 146 « Rite repertum (sc. ramum) carpe *manu*. » Hic tamen *manu* non expletivum : carpendus scilicet erat manu, non secandus ferro ramus. VII, 127 « Prima locare *manu* molirique aggere tecta. » IV, 344. — VII, 664 « Pila *manu* gerunt saevosque in bella dolones. » 688 « Pars spicula gestat Bina

manu. » VIII, 116 « Paciferaeque *manu* ramum praetendit olivae. » 220 « Rapit arma *manu*. » XI, 332. — VIII, 294 « Tu — Hylaeumque Pholumque *manu* mactas. » 694 « Stuppea flamma *manu* telisque volatile ferrum Spargitur. » IX, 591. XI, 453 « Arma *manu* trepidi poscunt. » *Manu* ad actionem perfectam, cuius initium tantum *poscunt* designat, refertur. » 505 « Sine me prima *manu* tentare pericula belli. » 675, 799, 893. XII, 23, 165, 173, 278, 625, 628, etc.

Nomine : G. IV, 356 « Te crudelem *nomine* dicit. » A. VI, 242 « Unde locum Grai dixerunt *nomine* Aornon. »

9. — Gerundium in *ndo*, quod est ablativus casus infinitivi, ad designandum instrumentum saepe usurpatur; tunc substantivi partes gerit, cum actio ipsa verbi pro causa vel instrumento praedicati habeatur. — Hoc vero gerundium aliquando apud poetas totius propositionis partes gerit, et tunc per explicitam enuntiationem, v. g. ablativum absolutum, explicandum est.

Optime mihi videtur hunc gerundii instrumentalis usum explicasse Forbigerus in adnotatione ad A. II, 81, quam hic referre non abs re erit. « *Fando* aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis et inclita fama. » — « *Fando* erunt, inquit Forbigerus, qui passive usurpatum esse dicant (ut E. VIII, 71 « *Cantando* rumpitur anguis » = dum cantatur; G. II, 239 *arando*, 250 *habendo*, etc.). Recentissimis tamen temporibus exstiterunt qui etiam in eiusmodi locis gerundio activam significationem vindicarent, vel potius, id quod mihi verissimum videtur, gerundium pro substantivo verbali plane abstracto haberent, in quo per se spectato nec agendi nec patiendi notio insit, quod vero, cum, in verbi temporis notionem mutatum, solvi possit per impersonale nostrum *man* (gallice *on*), pro varia ipsorum locorum natura modo per activum, modo per passivum aptius convertatur. » Huic doctissimi viri sententiae plane assentior, idque

tantum adiciam illum gerundii usum ad ablativi instrumentalis vel causalis esse referendum. Quod si semel recte intellegetur, omnes Vergilii loci facillime explanabuntur, in quibus haec constructio adhibetur.

Etsi huc non pertinent loci in quibus active gerundium accipitur, id est, ubi actio gerundii ab eadem persona qua actio praedicati efficitur, illos tamen enumerare non a re alienum videtur.

G. II, 37 « Fructusque feros mollite *colendo*. « 204 « Namque hoc imitamur *arando*. » 222 « Illam experiere *colendo*. » 407 « Persequitur vitem attondens fingitque *putando*. » III, 65 « Atque aliam ex alia *generando* suffice prolem. » IV, 203 « Saepe etiam duris *errando* in cotibus alas Attrivere. » 399 « Neque illum *orando* flectes. » E. II. 31 « Mecum una in silvis imitabere Pana *canendo*. » A. I, 713 « Expleri mentem nequit ardescitque *tuendo*. » II, 6 « Quis talia *fando* — temperet a lacrimis ! » *Fando* = cum talia refert. Hic usus temporalis gerundii primum apud Vergil., deinde apud prosae orationis scriptores, Livium in primis, invenitur. 361 « Quis cladem, quis funera *fando* Explicet ? » III, 480 « *Fando* surgentes demoror Austros. » 671 « Nec potis Ionios fluctus aequare *sequendo*. » IV, 113 « Tibi fas animum tentare *precando*. » 333 « Quae plurima *fando* Enumerare vales. » V, 710 « Superanda omnis fortuna *ferendo* est. » VI, 80 « Fingitque *premendo*. » 376 « Desine fata deum flecti sperare *precando*. » 660 « Ob patriam *pugnando* vulnera passi. » 666 « Quique sui memores aliquos fecere *merendo*. » 846 « Unus qui nobis *cunctando* restituit rem. » IV, 175 « Vires acquirit *eundo*. » VIII, 265 « Nequeunt expleri corda *tuendo*. » XI, 160 « Contra ego *vivendo* vici mea fata. » G. I, 133 « Ut varias usus *meditando* extunderet artes. » G. II, 294 « Multa virum volvens *durando* saecula vincit. »

Nunc locos proferam in quibus gerundium pro substantivo verbali abstracto habendum est et locum integrae propositionis tenet.

E. VIII. 71 « *Cantando* rumpitur anguis » = dum quis cantat. G. II, 239 « Ea (sc. terra) nec mansuescit *arando* » = cum quis eam arat. 250 « Sed picis in morem ad digitos lentescit *habendo* » = cum quis eam habet. III, 215 « Uritque *videndo* femina » = visu, quod eam taurus videt. III, 454 « Alitur vitium vivitque *tegendo* » = dum aliquis id tegit. A. II, 81 « *Fando* aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen. » *Fando* abstractum substantivum = *fama*. VII, 46 « Turnus aegrescit *medendo* » = eo quod Latinus mederi conatur. E. III, 21 « An mihi *cantando* victus non redderet ille ? « Hic abl. gerundii ad ablat. limitationis referri potest : victus quoad cantum. A substantivo vero gerundium differt eo quod actionem exprimit cum notione temporis quo fiebat et per quod duravit.

Multa eius gerundii constructionis exempla apud ceteros poetas invenire est.

Lucr. I, 312 « Anulus in digito subtertenuatur *habendo*. » IV, 1062 « Ulcus enim vivescit et inveterascit *alendo*. » VI, 142 « Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur dant *infringendo*. » = fractione. — Ov. Pont. III, 7, 25 « *Curando* fieri quaedam maiora videmus Vulnera. » Quin et posteriores prosae orationis scriptores, raro quidem, hac gerundii constructione usi sunt. Quint. XI, 2 « Memoria *colendo*, sicut alia omnia augetur » = si eam colas. Hunc denique Varronis locum profero ubi gerundio praep. *in* praeponitur. R. R. II, 9 « quam paucissimos reliqueris (sc. catulos), tam optimi *in alendo* fiunt propter copiam lactis » = dum mater eos alit.

C. — *Ablativus instrumentalis pretii.*

10. — Cum verbis *emendi*, *veniendi*, *mutandi*, etc. pretium, quod instrumentum est quo res emitur, venditur, etc., in ablativo ponitur. Nil peculiare habet Vergiliana syntaxis. G.

I, 31 « Teque sibi generum Thetys *emat omnibus undis.* » A. IX, 206 « Qui *vita* bene credat *emi*, quo tendis, honorem. » A. X, 503 « *emptum magno* intactum Pallanta. » A. II, 104 « hoc *magno mercentur* Atridae. » A. IX, 213 « Sit qui me raptum pugna *pretiove redemptum* Mandet humo. » VI, 121 « Si fratrem Pollux *aeterna morte redemit.* » A. I, 484 « *Auro* corpus *vendebat* Achilles. » VI, 621 « *Vendidit auro* patriam. » G. I, 502 « *Sanguine nostro* Laomedonteae *luimus* periuria Troiae. » A. XI, 849 « *Morte luet* merita. » A. I, 136 « Non *simili poena* commissa *luetis.* »

Mutare aliquid aliqua re poetarum est et primum in prosa oratione apud Livium occurrit. Cic. construit *mutare alqd cum aliqua re.* G. II, 511 « *Exsilio*que domos et dulcia limina *mutant.* » G. I, 8 « Tellus glandem *mutavit arista.* » Ablat. designat rem quae pro alia accipitur : domos relinquunt ut in exsilium eant.

D. — *Ablativus instrumentalis mensurae, limitationis et differentiae.*

11. — Cum huius ablativi constructio et usus apud Vergilium nihil a prosae orationis norma discrepet et apud omnium temporum scriptores constans sibi syntaxis perstiterit, non insistendum esse existimo.

Pauca haec tamen exempla referam :

G. II, 125 « Gens illa quidem sumptis non tarda *pharetris.*» 291 « Aesculus — quae quantum *vertice* ad auras Aetherias tantum *radice* in Tartara tendit. » III, 84 « Micat *auribus* et tremit artus. » 119 « Iuvenemque magistri Exquirunt calidumque *animis* et *cursibus* acrem. » 416 « Mala *tactu* vipera.» G. IV, 481 « Implexae *crinibus* angues Eumenides. » A. I, 339 « Genus intractabile *bello.* » II, 87 « Dum stabat *regno* incolumis. » III, 591 « Ignoti nova forma viri miserandaque

cultu. » IV, 11 « Quem sese *ore* ferens ! » V, 277 « *Parte* ferox ardensque *oculis.* » VI. 494 « Laniatum *corpore toto.* » IX, 40 « Aeneas optimus *armis.* » X, 411 « *Bellis* acer Halaesus. »

Nota ablativum pretii, ad mensuram pertinentem, A. II, 102 « Si omnes *uno ordine* habetis Achivos » = « si omnes Graecos eodem loco habetis, si discrimen non facitis inter ceteros Graecos, quibus iure infensi estis, et me, qui vobis sum amicus et rebus vestris consulo. » (Forbig.)

12. — De ablativo instrumentali *comparationis*, qui in ablativum mensurae et differentiae pertinet, hanc Vergilii constructionem animadvertas : A. I, 15 « Quam Iuno fertur *terris magis omnibus* unam Posthabita coluisse Samo. » Quae quidem constructio perrara est. Perizonius etiam negat eam in arte grammatica esse. Solet enim ablativus tantum poni cum comparativus uno et simplici verbo in *ior*, *ius* exeunte exprimitur. Si autem comparativus per *magis* exprimitur, per *quam* adverbium solvitur ablativus. A. IV, 31 « O *luce magis* dilecta sorori. » V, 724 « Nate, mihi *vita* care *magis.* » G. I, 35 « Caeli *iusta plus parte* relinquit. » Nullum aliud apud Vergilium eius constructionis exemplum invenitur. Apud Horatium etiam rara apparet cf. S. I, 6, 24 « Gloria trahit curru non *minus* ignotos *generosis.* » S. I, 1. 52 « Cur tua *plus* laudes *cumeris* granaria *nostris.* » Od. IV, 14, 13 « *Plus vice* simplici. » Lucr. III, 275 « Nec *magis hac* infra quidquam est in corpore nostro. »

Sed veteres scriptores multo frequentius eam constructionem usurpant, quod sequentibus locis confirmatur, quos ab Holtzio citatos invenio. Legg. XII tab. X, fr. 2 « *Hoc plus* ne facito. » Plaut. Cas. II, 3, 9 « Amo Casinam *magis initio.* » Pseud. III, 2, 20 « Me nemo potest *minoris* quisquam *nummo* ut surgam subigere. » IV, 1, 27 « Neque ego *hoc homine* nunquam quemquam vidi *magis* malum ac maleficum. » Ter.

Heaut. I, 1, 11 « Annos sexaginta natus es, aut *plus eo*, ut conicio. » Non solum comparativum, sed adverbia comparationis *aeque, adaeque* sequitur ablativus : Plaut. Amph. I, 1, 142 « Nullust *hoc* meticulosus *aeque*. » Most. I, 1, 30 « *Quo* nemo *adaeque* iuventute ex omni Attica est habitus parcus nec *magis* continens. »

E. — *Ablativus instrumentalis materiae.*

13. — Materia per *ex* et ablat. exprimi solet, ut « facere aliquid *ex auro*, poculum *ex auro* fingere. » Poeticus est solus ablativus, quem Verg. construere solet. Notandum tamen ablativum materiae non absolute et cum nudo substantivo construi, sed saepissime cum praedicato, sive verbo sive adiectivo aut participio cohaerere, ita ut materiae et instrumenti notiones mixtas contineat. Saepe etiam qualitas simul et materia eodem ablativo designantur.

G. II, 25 « *Acuto robore* vallos. » 240 « *Spisso vimine* qualos. » III, 29 « *Navali* surgentes *aere* columnas. » IV, 373 « Pendentia *pumice* tecta thalami » (= thalamus, cuius tecta constabant pumice pendente). A. I, 164 « Tum *silvis* scena *coruscis*. » 167 « Intus aquae dulces *vivo*que sedilia *saxo*. » 469 « Nec procul hinc Rhesi *niveis* tentoria *velis*. » 655 « Duplicem *gemmis auro*que coronam. » 728 « Gravem *gemmis auro*que pateram. » A. II, 51 « Inque feri curvam *compagibus* alvum. » 765 « Crateres *auro* solidi. » III, 28 « *Atro* liquuntur *sanguine* guttae. » 464 « Dona *auro* gravia *secto*que *elephanto*. » 467 « Loricam *hamis* consertam *auro*que trilicem. » Cf. V, 259 id. *Hamis auro*que *trilicem*, id est, habentem hamos ex triplici aureo filo factos. Vocem *trilicem* Vergilius novam effinxit ex *tres, tri* et *licium*. VI, 214 « Principio pinguem *taedis* et *robore secto* — pyram.... » VIII, 624 « Leves ocreas *electro auro*que recocto. » IX, 33 « *Nigro* pul-

vere nubem glomerari. » 105 « Per *pice* torrentes atroque voragine ripas. » 262 « Bina pocula *auro* perfecta. » X, 138 « Crines *molli* subnectit circulus *auro*. » V, 313 « Quam *tereti* subnectit fibula *gemma*. » Hic tamen sensus non idem remanet, prout abl. *gemma* materiam vel instrumentum exprimit. Si materiam, fibulam significat gemma distingui, si instrumentum, gemma ipsa subnectit pharetram (la pierre sert de bouton). X, 784 « Orbem *aere* cavum *triplici*. » XII, 670 « Ecce autem *flammis* — undabat vertex » = flammarum : haec enim ut in prosa oratione solita constructio. Cf. 663 strictis seges *ensibus* = ensium. X, 636 « Tum dea *nube cava* tenuem sine viribus umbram » (= umbram ex nube constantem). XI, 894 « *Robore duro* stipitibus ferrum imitantur. »

Materiam per praep. *de*, *ex* Vergilius etiam exprimit. Tunc ablat. non iam instrumentum, sed potius originem, locum unde, exprimit et ad ablativum proprium referendus est. G. III, 13 « templum *de marmore* ponam. » A. IV, 457 « Praeterea fuit in tectis *de marmore* templum. » VI, 69 « Tum Phoebo et Triviae *solido de marmore* templum Instituam. » VII, 688 « fulvos lupi *de pelle* galeros habent. » Cf. Tibul. I, 1, 40 « *de facili* composuit *luto* pocula. » *Ex* : A. VII, 178 « Effigies avorum *antiqua e cedro*. » VIII, 621 « Loricam *ex aere* regentem. »

F. — *Ablativus instrumentalis causae.*

14. — Ablativus indicat *causam* efficientem, vel auctorem, unde quis effectus proficiscitur. Quo primum pertinet ablativus cum praep. *ab* coniunctus in enuntiationibus passivis ad significandam personam quae in activa constructione subiectum fuerat. Praeter verba passiva, intransitiva etiam eodem modo cum praep. *ab* et ablativo coniunguntur ad auc-

torem status exprimendum. Si vero causa efficiens non persona est, in ablativo sine praep. ponitur. Haec est causa exterior.

Sed et causa *interior*, id est, in ipso subiecto residens ablativo exprimitur. Animi enim affectus quo quis ad agendum inpellitur, latine pro instrumento habetur et per ablativum instrumenti indicatur. Cf. Madvig § 256 : Ablativum *causae moventis* vocat.

Id vero Vergilio proprium et peculiare est, quod saepe causam in ablativo ponit quae non strictim cum actione verbi cohaeret, sed quasi remotior videtur atque etiam aliquo modo notionem temporis vel adiunctionis continet.

Illos igitur tantum Vergilii locos proferam in quibus ablativus causae non arto relationis vinculo cum praedicato iungitur, ubi saepius in prosa oratione sive alius casus cum praepositione, sive participium, sive coniunctiva enuntiatio (cum, simul ac, etc.), sive etiam ablativus absolutus adhiberi solet.

G. I, 44 « *Zephyro* putris se gleba resolvit. » 323 « Nunc nemora *ingenti vento*, nunc litora plangunt. » III, 370 « Cervi torpent *mole nova* » (sc. nivis). IV, 219 « *his* quidam *signis* — esse apibus partem aetheriam divinae mentis dixere. » A. I, 102 « stridens *aquilone* procella. » 171 « Magno telluris *amore* egressi. » 674 « Ne *quo* se *numine* mutet. » 677 « Regius *accitu* cari genitoris ad urbem puer ire parat. » Nota verbale nomen *accitus*, sicut et alia quartae declinationis verbalia, *iussus*, *rogatus* etc. tantum in ablativo cum genetivo vel pronomine possessivo usurpari. A. II, 145 « *His lacrimis* vitam damus » (=his lacrimis moti). Weidner censet *lacrimis* esse dativum acquisitionis (« = nous accordons la vie à ses larmes.») Wagnerus et Benoistus ablativum causae esse volunt. Conington vero ita transfert ut *lacrimis* pro dativo habere videatur : « *His lacrimis*, *to his tearful* appeal. » Et iterum dum *ultro* explicat : « We not only grant his life *to his tears*

etc. » *Talibus insidiis* periurique *arte* Pelasgi Credita res » (= cum insidiis deciperemur). 352 « Di, *quibus* imperium hoc steterat. » III, 546 « *Praeceptis*que Heleni, — rite Iunoni Argivae iussos adolemus odores. » (= praeceptorum Heleni memores). IV, 42 « Hinc deserta *siti* regio. » 46 « Hunc cursum Iliacas *vento* tenuisse carinas. » 48 « Quae surgere regna (cernes) *coniugio tali* ! » 164 « Tecta *metu* petiere. » 176 « Parva *metu* primo. » V, 863 « *Promissis*que patris Neptuni interrita fertur. » (= fidens promissis.) VI, 266 « Sit *numine vestro* Pandere res alta terra et caligine mersas » (= per vos liceat mihi etc.). VII, 249 « *Talibus* Ilionei *dictis* defixa Latinus obtutu tenet ora. » 314 « Immota manet *fatis* Lavinia coniux. » VIII, 219 « Hic vero Alcidae *furiis* exarserat atro Felle dolor. » 256 « Non tulit Alcides *animis*. » (*animis* est abl. non loci, sed causae : = propter iram.) 456 « Vota *metu* duplicant matres propiusque *periclo* It timor. » 709 « Illam inter caedes pallentem *morte futura*. » IX, 315 « Passim *somno vinoque* per herbam Corpora fusa iacent. » (Cf. « Somno vinoque sepultam » A. II, 265). 539 « *Pondere* turris procubuit subito. » X, 449 « Aut *spoliis* ego iam *raptis* laudabor *opimis* Aut *leto insigni*. » (= propter spolia rapta aut propter letum). 859 « Bellis *hoc* (sc. equo) victor abibat omnibus. » E. II, 26 « Cum placidum *ventis* staret mare. » Hic abl. a notione pendet quae in verbo *stare* continetur : *staret* = sterneretur otio. Ita enim ventis tribuitur potestas fluctus sedandi, quod ut fiat, satis est eos flare desinere ; *stare placidum ventis* idem valet atque esse pacatum ventis. G. II, 330 « Parturit almus ager zephyrique *tepentibus auris* Laxant arva sinus. » 353 « Ubi hiulca *siti* findit canis aestifer arva. » G. III, 478 « Hic quondam *morbo* caeli miseranda coorta est — lues. » Nota G. II, 425 « *Hoc* pinguem et placitam Paci nutritor olivam. » *Hoc* = itaque et homerico τῷ respondet. Cf. Hor. S. I, 6, 87 « At *hoc* nunc laus illi debetur. » Apud Ciceronem et Caesarem *hoc* eo sensu non invenitur.

Apud eosdem rarissime tales remotioris causae ablativi occurrunt. Attamen Cic. de leg. III, 7 « Regale civitatis genus non tam regni quam regis *vitiis* repudiatum est. » Phil. I, 12 « Significarent se *beneficio novo* memoriam veteris doloris abiecisse. » Caes. B. G. VI, 9 « Ne *communi odio* Germanorum innocentes pro nocentibus poenas pendant. » B. C. I, 84 « Frumenti *inopia* colloquium petunt. »

Apud Ennium vero Lucretiumque et ceteros poetas liberior etiam et remotior ablativus causae usu venit :

Enn. Ann. 437 « Nec respirandi fit copia *praepete ferro.* » Plaut. Asin. I, 2, 16 « in pannis *inopia.* » Curc. II, 28 « Venire poteris *intestinis* vilius » = ob intestina putrida et delinita. Most. 140 « *aetate* non quis obtuerier. » Ter. Hec. 837. Heaut 839. Phor. 887, 791.

Lucr. I, 225 « quaecumque *vetustate* amovet aetas. » V, 116 « ne forte rearis terras et solem — *corpore divino* debere aeterna manere (= eo quod iis sit corpus divinum). VI, 1197 « quorum si quis vix vitarat funera leti, *Ulceribus tetris* et *nigra proluvie* alvi Posterius tamen hunc tabes letumque manebat. III, 28 « *His* me *rebus* divina voluptas percipit atque horror. (= cum haec intueor.)— Tibul. II, 6, 36 « Illius ut *verbis* sis mihi lenta veto » (= ne eius verba te facient lentam, i. e. inexorabilem). — Prop. I, 21, 3 « Quid *nostro gemitu* turgentia lumina torques ? » III, 6, 21 « Ille potest nullo miseram me linquere *facto* ? » (= etsi nihil feci propter quod me miseram linquat). II, 55 « Non haec, Roma, fuit *tanto* tibi *cive* verenda. » (= dum tibi tantus civis praefuit). Catul. XIV, 2 « Ni te plus oculis meis amarem, — *munere isto* odissem te odio Vatiniano. » (= propter munus istud, quo me donasti). I, 46, 3 « Iam caeli furor aequinoctialis iucundi Zephyri silescit *auris.* »

Tum Livius, poetarum imitator, multos eiusmodi causae ablativos, quos solutiores dixerim, usurpavit. XXXVI, 39, 8 « Quod *festinatione* triumphi praetermissum esset. » IV, 44, 4

« Non *suis beneficiis*, non patrum *iniuriis*, non denique usurpandi *libidine*, cum liceat, quod ante non licuerit, si non tribunum militarem, ne quaestorum quidem quemquam ex plebe factum ? » IV, 12, 7 « Coepere a fame mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu *dulcedine* contionum et urbis deserto agrorum cultu. XXIV, 19, 5 « *Hoc nuntio* Marcellus duobus militum milibus Nolae in praesidio relictis etc. »

15. — Tum et cum ablativo causae construuntur multa alia verba vel adiectiva.

A) *Animi affectum* vel *corporis habitum* exprimunt :

Laetor : A. X, 739 « Non *me laetabere inulto.* » A. I. 393 « *Laetantes agmine* cycnos. » VI, 568 « *Laetatur furto.* »

Liberius vero *laetor* cum genetivo graeco A. XI, 280 « Nec *veterum* memini *laetor*ve *malorum.* » Nil tamen inde eruere licet, cum genetivus hic cconcinnitatis causa stare videatur.

Quanquam enim *laetus* cum genet. Verg. construit (vide infra), hic *malorum* a verbo *memini* summam notionis continente praecipue pendet. Cf. Plaut. Merc. V, 4, 35 « *Serva* et subveni *hunc senem.* » Soph. Antig. 533 καὶ συμμετίσχω καὶ φέρω τὴς αἰτίας.

Dolere : A. I, 669 « *Doluisti nostro dolore.* »

Valere : A. XII, 892 « Quicquid sive *animis* sive *arte vales.* » A. V, 67 « *Valet cursu* pedum. »

Superbus : A. II, 556 « Tot quondam *populis terris*que *superbum.* » Cf. 504 « *Barbarico* postes *auro spoliis*que *superbi.* » V, 168 « *Opibus superbi.* »

Laetus : A. I, 275 « Inde lupae fulvo nutricis *tegmine laetus* Romulus. » II, 417 « *Laetus* Eois Eurus *equis.* » VI, 787 « Berecynthia mater — *laeta* deum *partu.* » Cf. cum genetivo A. XI, 73 « Dido *laeta laborum* » ; per graecismum dicitur ; germanice « *froh der* Arbeit. » G. II, 520 « *Glande* sues

laeti redeunt. » Construas licet *glande laeti*, vel, si mavis, *glande redeunt*.

Fessus : E. VIII, 8 « Bucula *fessa quaerendo*. » A. II, 596 « *Fessum aetate* parentem. » A. V, 715 « *fessas aequore* matres. » Cf. A. I, 178 « *Fessi rerum*. »

Exsultare : A. II, 386 « Atque hic *successu exsultans animis*que Coroebus. »

Maerere : G. III, 518 « *Maerentem* abiungens *fraterna morte* iuvencum. » — *Maestus* : A. III, 482 « Andromache *digressu maesta supremo*. »

Florere : E. VII, 4 « Ambo *florentes aetatibus*. » G. IV, 564 « *Studiis* florentem ignobilis oti. »

Vigere : A. IV, 175 « (Fama) *mobilitate viget*. »

Se iactare : G. I, 103 « *Nullo* tantum se Mysia *cultu iactat*.» A. VI, 878 « Nec Romula quondam *ullo* se tantum tellus *iactabit alumno*. »

Flagrare : A. XII, 167 « *Flagrans sidereo clipeo*. »

Ardere: A. VIII, 163 « Mihi mens *iuvenali ardebat amore*. » etc.

Aeger: A. I, 208 « *Curisque ingentibus aeger*. »

Gaudere : A. IV, 157 « Ascanius *gaudet equo*. » etc.

B) Verba et adiectiva quae *excellentiam* vel *praecellentiam* significant :

Vincere : G. II, 295 « Multos nepotes — *durando vincit*. » E. IV, 55 « Non me *carminibus vincet* nec Thracius Orpheus.»

Superare : A. II, 219 « *superant capite et cervicibus* altis. » E. V, 9 « Phoebum *superare canendo*. »

Insignis : G. III, 56 « *Maculis insignis* et *albo*. » A. V, 295 « Euryalus *forma insignis* viridique *iuventa*. » I, 10 « *Insignem pietate* virum. » etc.

Illustris : A. VII, 79 « *Illustrem fama fatis*que fore. »

Huc pertinet *dignus* (ex radice *dic*, sanscritice dic-â-mi, ostendo, graece δείκ-νυ-μι), unde *dignus* = monstratus, egre-

gius, signatus, et inde *dignus*, *indignus*, *dignari*. E. III, 109 « *dignus* tu *vitula*. » A. VII, 389 « solum te *virgine dignum* Vociferans. » A. VIII, 364 « *dignum deo* te finge. » etc. — *indignus* : A. IX, 595 « *indigna relatu* vociferans. » Cf. *indignus* cum genet. A. XII, 649 « *Magnorum* haud unquam *indignus avorum*. » (ἀνάξιος τῶν προγόνων.)

c) Verba quae *niti*, *fidere* significant : *nitor*, *fido*, *confido*, *sto*, *fretus*, *subnixus*. *Fidere* tamen et *confidere* Vergilius cum dativo, non solum personae, ut classici prosae orationis scriptores solent, sed et rei, etiamsi non personaliter concipiatur, construit. A. XI, 378 « *fidere nocti*. » XI, 351 « *fidere fugae*. » Cf. de dativo post verba intransit p. 120. Saepius incertum est utrum ablativus an dativus sit, cum eadem sit utriusque casus forma : A. XI, 706 « *fidis equo*. » X, 872 *fidete* ne *pedibus*. » 181 « *fidens equo* et *armis* Astur. » Cum abl. certo A. X, 345 « *fidens corpore* Clausus. » G. III, 31 « *fidentem fuga* Parthum. » —*Confidere* cum dativo certo : A. V, 849 « Mene *huic confidere monstro*. » V. 870 » O nimium *caelo confise sereno*. » — *Diffidere* apud classicos scriptores semper cum dativo. Pro dativo igitur habendum est *armis* A. III, 51 « Cum iam diffideret *armis* Dardaniae. »

G. — *Ablativus instrumentalis modi et comitatus.*

16. — Optime mihi Holtzius ablativum, quem modalem grammatici statuunt, definiisse videtur. « Ablativus modi, inquit, exprimit rationem qua aliquid fit, et qua status quidam animadversus eius, qui loquitur, oculis representatur, quod duplici modo fieri potest. Potest enim hic ablativus primum attributiva significatione usurpari, tumque est proprie casus adverbialis ; quapropter eo referenda sunt omnia adverbia, quae ablativi formam et significationem certe solam habent.

Deinde eo spectant ablativi, quales sunt *silentio, iure, iniuria, voluntate, sponte* et generalis significationis *modo, ratione, more,* qui cum genetivo vel adiectivo coniunguntur. Hic ablativus saepe proxime ad instrumentalem accedit. Deinde autem ablativus modi potest etiam accessoria magis significatione positus esse, si res describuntur, quae statum quasi *comitantur*. Huic ablativi generi saepe *cum* praepositio adiungitur, velut si dicitur *cum cura, cum diligentia, cum celeritate.* » (Synt. priscor. scriptor. lat. I, p. 146).

In prosa oratione ablativo modali nomen vel adiectivum, quod propius definiat, adiungi solet. Ubi enim nullum accedit attributivum nomen, praep. *cum* praeponitur: *cum studio, cum ira* et *dolore*. Nomina sola quae supra enuntiavi sine praep. in ablativo ponuntur : *silentio, iure, iniuria*, etc. Quibus adde *dolo, arte*. Vergilius vero ceterique poetae quodvis nomen sine attributiva determinatione ablativo casu construunt.

A) Nomini in ablativo modali posito attributum adiungitur: G. I, 382 « E pastu decedens *agmine magno* Corvorum increpuit exercitus. » 388 « Cornix *plena* pluviam vocat improba *voce.* » 407 « *Magno stridore* per auras Nisus insequitur Scyllam. » 475 « *Insolitis* tremuerunt *motibus* Alpes. » 477 « Simulacra *modis* pallentia *miris.* » II, 6 « Spumat *plenis* vindemia *labris.* » 13 « Populus et *glauca* canentia *fronde* salicta. » 153 « Neque *tanto* squameus in spiram *tractu* se colligit anguis. » 160 « *Fluctibus* et *fremitu* assurgens, Benace, *marino.* » 162 « Indignatum *magnis stridoribus* aequor. » II, 81 « Exiit ad caelum *ramis felicibus* arbos. » 86 « *Amara* pausia *baca.* » 364 « Palmes — *laxis* per purum immissus *habenis.* » 386 « *Versibus incomptis* ludunt *risu*que *soluto.* » III, 375 « *Magno* laeti *clamore* reportant (cervum) » 468 « Caligantem *nigra formidine* lucum. » 220 « Illi alternantes *multa vi* proelia miscent *Vulneribus crebris.* » IV, 82 « Ipsi

per medias acies *insignibus alis.* » E. III, 31 « Tu dic mecum *quo pignore* certes. » E. IV, 18 « At tibi prima, puer, *nullo* munuscula *cultu* — tellus fundet. » Cf. Cic. Mil. 10 « Obvius fit Miloni Clodius, expeditus, in equo, *nulla rheda, nullis impedimentis.* » E. IV, 50 « Aspice *convexo* nutantem *pondere* mundum. » E. X, 24 « Venit et *agresti* capitis Silvanus *honore.* » A. I, 75 « *Pulchra* faciat te *prole* parentem » (= pulchrae prolis). 217 « Amissos *longo* socios *sermone* requirunt. » 490 « *Lunatis* agmina *peltis.* » 690 « *Gressu* gaudens incedit *Iuli.* » 751 « *Quibus* Aurorae venisset filius *armis.* » II, 58 « Pastores (iuvenem) *magno* ad regem *clamore* trahebant. » 335 « Vix primi portarum vigiles — *caeco Marte* resistunt » = caeco furore; possis etiam interpretari: in proelio, in quo non se pugnantes agnoscunt. 383 « Irruimus *densis* et circumfundimur *armis.* » Weidner vult *densis armis* dativum esse a *circumf.* pendentem, censetque ita fortitudinem Troianorum multo magis illustrari, qui multitudinem hostium contempserint. Sed Benoisto recte interpretatio quaesita et dura videtur. III, 226 « *magnis* quatiunt *cangloribus* alas. » V, 18 « Non — *hoc* sperem Italiam contingere *caelo.* » 338 « *plausu*que *secundo.* » 369 *Magno*que virum se *murmure* tollit. » *Magno murm.* potest etiam pro abl. absol. haberi. VI, 159 « *paribus curis* vestigia figit. » VII, 187 « ipse *quirinali lituo* — sedebat Picus. » 284 « *Talibus* Aeneadae *donis dictis*que Latini redeunt. » VIII, 199 « *Magna* se *mole* ferebat. » 417 « Liparen, *fumantibus* ardua *saxis.* » 432 « *flammis sequacibus* iras. » IX, 36 « quis globus, o cives, *caligine* volvitur *atra*? » 38 « *ingenti clamore.* » id. 54, 596, 635, 790. X, 799. IX, 347 « ensem *multa morte* recepit. » id est, morte iam multum progressa et ideo certissima et proxima. Peerlkamp interpretatur: « Mors Rhoeti iam eo venerat ut nihil deesset, tale vulnus acceperat, ut statim animam esset redditurus. » Possis etiam interpretari: ensem multo cum sanguine retraxit; mors enim pro sanguine dicitur, ut apud Graecos φόνος, σὺν πολλῷ φόνῳ. 564 « Quaesitum an

matri *multis balatibus* agnum. » 814 « saltu sese *omnibus armis* in fluvium dedit. » X, 213 « ter lecti proceres, *ter denis navibus* ibant. » 768 « tum se *vastis* infert Mezentius *armis*. » Est *armis* ad *arma* an ad *armi* revocandum ? 771 « *Mole sua* stat. » (Cf. VII, 789. II, 639, III, 656.) XI, 52 « Iuvenem exanimum *vano* maesti comitamur *honore*. » 186 « *more* patrum. » 447 Nuntius ingenti per regia tecta tumultu ruit. » 478 « ad templum subvehitur *magna* matrum regina *caterva*. » 609 « *subito* erumpunt *clamore*. » (Cf. XII, 252, 257, 926). XII, 664 « *Obtutu tacito* stetit. » G. III, 317 « Capellae — *gravido* vix superant *ubere* limen » (= cum gravido ubere, vel propter gravidum uber). A. III, 46 « *Iaculis* increvit acutis. » Incertum utrum *iac. acut.* pro ablativo modi au pro dativo sit habendum. Heynius dativum esse vult = in iacula, quae interpretatio Benoisto placere videtur. Ego censeam potius abl. modi esse, qualis est. A. I, 132 « vina currentia *rivis*. »

In plerisque exemplis hic allatis, ut videtur, non a prosae orationis norma Vergilius deflectit. Nam et prosaici scriptores praep. omittunt, si nomini in ablativo modali posito adiectivum aut quodvis aliud determinativum subiungitur.

B) Nomina sine attributiva determinatione ablativo modali construuntur. Saepe quidem abl. modalis ad instrumentalem proprium reducitur. Sed apud nostrum poetam comitatus ipse, non solum modus, simplici nudi substantivi ablativo designatur, quod poeticum est et raro in prosa oratione usu venit.

G. II, 34 « *prunis* lapidosa rubescere corna. » Sunt tamen qui censeant *prunis* esse non modi, sed loci ablativum, omissa praep. *in*, ita ut sensus sit : corna rubescunt in prunis (des cornouilles sur des pruniers). « *Rubescere* enim contendo, ait Forbigerus ad locum, magis convenire cornis quam prunis, quamvis etiam prunorum genus sit purpureum (Plin.

XV, 13, 12). » Benoistus ad hanc Forbigeri sententiam accedit. « Il faut donc entendre, inquit, d'après Forbiger et Ladewig, que les fruits du cornouiller (*corna*), par l'effet de la greffe, rougissent sur les pruniers (*prunis*, datif ou ablatif de *prunus*). Le premier de ces sens semble plus conforme à nos habitudes, le second est exigé par la grammaire, et pour cette raison il est seul admissible. » 429 « *fetu* nemus omne gravescit *Sanguineisque* inculta rubent aviaria *bacis*. » III, 379 « noctem *ludo* ducunt. » Cf. Prop. I, 14, 10 « facili totum ducit *amore* diem. » 422 « *fuga* timidum caput abdidit. » G. IV, 56 « *arte* recentes Excudunt ceras. » 241 « ima exaestuat unda *verticibus*. » A. I, 105 « Insequitur *cumulo* praeruptus aquae mons. » 123 « *rimis* fatiscunt (naves) » = ita ut rimae fiant. 398 « *coetu* cinxere polum. » 519 « templum *clamore* petebant » (pro *cum clamore* = clamantes). 535 « assurgens *fluctu* nimbosus Orion. » = qui cum assurgit, fluctus moventur ; abl. designat effectum verbi. II, 225 « gemini *lapsu* dracones effugiunt. » 323 « *gemitu* cum talia reddit. » 413 « Tum Danai *gemitu* atque ereptae virginis *ira* invadunt. » *Lapsu*, *gemitu* = lapsi, gementes. 498 « fertur in arva furens *cumulo*. » 512 « Nox *horis* acta » = acta, decurrens per horas. *Horis* non potest esse abl. comitatus vel instrum. = horae agunt noctem. Nunquam enim horae dicuntur noctem comitari, neque ulla est causa cur eas pro personis habeamus. (Benoist.) IV, 193 « hiemem inter se *luxu* fovere. » V, 450 « Consurgunt *studiis* Teucri et Trinacria pubes. » 654 « *ludo* belli simulacra ciebat. » 821 « Sternitur aequor *aquis*. » abl. comitat. = aequor cum suis aquis. Possit et abl. limitationis defendi = sternitur aequor, quod ad aquas eius attinet. 829 « intendi brachia *velis*. » VII, 247 « Cum iura vocatis *More* daret populis. » 581 « Nemora avia matres Insultant *thias's*. » VIII, 216 « Colles *clamore* relinqui. » Ablativus modi ad subiectum agens referri solet, id est, eadem persona et actionem verbo et actionem ablativo expressam efficit. Hic vero cum

verbum sit passive usurpatum, *clamore* ad subiectum logicum refertur : boves colles clamore (= clamantes) relinquunt. cf. I, 519 « templum *clamore* petebant. » XI, 208 « Cetera (corpora) nec *numero* nec *honore* cremant. » id est, neque numerantur neque eis honos habetur. 449 « instructos *acie* » (gallice : « rangés en bataille »). 461 « illi *armis* in regna ruunt. » 807 « Fugit ante omnes exterritus Aruns *Laetitia mixto*que *metu*. » 875 « *Caligine* turbidus *atra* pulvis. » XII, 293 « Fervidus advolat *hasta* Messapus. » VIII, 694 « *telis*que volatile ferrum spargitur. « *Telis* = telorum, ferrum telis = ferrea tela. « Le fer vole sous forme de traits. » Locus non mihi tan difficilis ad explicandum videtur quam Conington dicit eum esse. « The latter part of the verse, inquit, has created considerable difficulty. » Antiqua lectio *teli* pro telorum omnino relinquenda videtur, quippe quae plane a Vergiliana oratione abhorreat. X, 193 « sidera *voce* sequentem. » i. e. canentem et volantem. 296 « Totum allabi *classibus* aequor videtur. » Vulgari oratione dictum : classis allabitur per totum mare. Poetica vero imagine usus Vergilius dicit mare ipsum, navibus tectum, effluere ad litus cum classibus videri.

Cf. Plaut. Cas. V, 4, 5 « Unde *ornatu hoc* advenis ? » Amph. II, 2, 162 « At *cruciatu* iam, nisi apparet, *tuo*. » Terent. Hec. prol. 2 v. 1 « Orator ad vos venio *ornatu* prologi. »

17. — Saepe vero Vergilius ad prosam orationem accommodate praep. cum ablativo modi, cum nullum ad nomen attributivum accedit, tum etiam si et comitatus notio immiscetur, praeponit. A. III, 177 « Ad caelum *cum voce* manus tendo. » V, 167 « *Cum clamore* Gyas revocabat. » VII, 420 « *His* se *cum vocibus* affert. » G. III, 222 » Versaque in obnixos urgentur cornua *vasto Cum gemitu*. » G. IV, 437 « *Cum clamore* ruit magno. »

Aliquando etiam per alias praepositiones *de*, *ex*, modus definitur. Vergilius praecipue locutiones *de more*, *ex more* usurpat. A. IV, 57 « Lectas *de more* bidentes. » VI, 40. VIII, 544 id. XI, 142 « *De more vetusto* Funereas rapuere faces. » V, 244 « Cunctis *ex more* vocatis. » VII, 357 « *Solito* matrum *de more* locuta est. » *De more* Vergilius primus usurpavit, quem deinde secuti sunt poetae et prosaici scriptores. Pro *de more* adhibet Verg. et *ex more* V, 244 « Cunctis *ex more* vocatis. » VIII, 117 « *Ex ordine*. » Quod quidem apud Ciceronem ceterosque classicos nunquam invenitur, sed tantum *more* ; quod et apud Verg. occurrit A. VI, 223 « *More* parentum. » Sallustius vero *ex more* Iug. 61, 3 « Neque id tempus *ex* aliorum *more* quieti et luxuriae dedit. » *In* : A. VII, 147 « Urbes *longa* placidas *in pace* regebat. » VIII, 629 « Pugnata *in ordine* bella. »

Addam hic locos ubi Verg. ablativum modalem *ordine* verbo adiungit, qui saepe abundat et tantum formulam complet et ornat, ut *pectore*, *mente* etc. A. III, 179 « Remque *ordine* pando. » 548 « Continuo perfectis *ordine* votis. » VII, 276 « Omnibus extemplo Teucris iubet *ordine* duci Instratos ostro alipedes. » G. IV, 4« Magnanimosque duces totiusque *ordine* gentis. » 537 « Sed modus orandi qui sit prius *ordine* dicam. » 375 « Manibus liquidos dant *ordine* fontes. » A. VI, 723 « *Ordine* singula pandit Anchises. » etc. *Ex ordine* non eadem significatione atque *ordine* usurpatur. *Ordine* saepe, ut diximus, abundat et nulla sensus mutatione posset omitti. *Ex ordine* vero semper significat rem ita geri ut ordo servetur, ut A. VII, 138 « Tum noctem Noctisque orientia signa, Idaeumque Iovem, Prhygiamque *ex ordine* Matrem Invocat et duplices caeloque Ereboque parentes. » G. IV, 507 « Septemque illum totos perhibent *ex ordine* menses — flevisse. » *Ex ordine totos* significat Orphea continuato per septem menses gemitu, sine ulla intermissione flevisse. A. V, 773 « Solvique *ex ordine* funem (iubet Aeneas.) »

= servato ordine quo singulae naves stabant : primae solvitur funis, tum et secundae, et sic deinceps. — *Ordine dicere, pandere*, etc. homericae locutioni respondet κατὰ μοῖραν εἰπεῖν.

Hic audacior usus, quo per nudum nomen in ablativo positum modus actionis definitur, apud prosae orationis scriptores usque ad Livium rarissimus occurrit. Inde ab Livio magis ac magis extenditur. Liv. IX, 46, 4 « *Contumacia* adversus nobiles certavit. » XXVI, 3, 8 « seu *legibus* seu *moribus* mallet anquireret. » XLII, 61, 6 « *trepidatione* passim natantium, » etc. Iustin. XII, 8, 10 « Exercitus *lacrimis* eum deprecatur. » (Cf. Kühnast, Liv. Synt. p. 175 sqq. Draeger, Histor. Synt. I, p. 499).

H. — *Ablativus instrumentalis qualitatis.*

18. — Ablativus *qualitatis* arte cum abl. modi et comitatus cohaeret. Ut enim ablativo ea res, quae actionem comitatur, enuntiatur, ita eodem casu eadem relatio exprimitur, cum id quod predicatum definiebat, ad subiectum verbi tanquam eius attributum refertur. Si enim conferes : « Legiones *profectae sunt alacri animo*, » et « legiones *sunt alacri animo* » facile percipies eandem esse utriusque ablativi naturam.

De quo ablativi usu apud Vergilium pauca dicam ; nihil enim est Vergilianae syntaxi peculiare. Hos tantum notandos locos efferam: G. II, 102 « *tumidis*, Bumaste, *racemis*.» 241 « *Spisso vimine* qualos. » 266 « Optima *putri* arva *solo*. » 313 « *foliis* oleaster *amaris*. » E. VI, 67 « Linus, *divino carmine* pastor. » A. I, 213 « Bina manu *lato* crispans hastilia ferro. » III, 677 « Cernimus adstantes nequicquam *lumine torvo*. » V, 77 « Hic duo rite libans *mero* carchesia *Baccho* (exspectatur genet quantitatis : carchesia Bacchi) Fundit humi, duo *lacte novo*, duo *sanguine sacro*.» 209 « Ferratasque trudes et *acuta cuspide* contos. » VII, 483 « Cervus erat *forma praestanti* et

cornibus ingens. » Servius censet *praestanti forma* et *cornibus* ab *ingens* pendere. Non ita, sed est abl. qualit. IX, 529 « Turris erat *vasto suspectu* et *pontibus altis*. »

Animadvertendum est etiam Vergilium saepe ablativo qualitatis verbum vel adiectivum subiungere, quo ablativus quasi ad qualitatem exprimendam adiuvetur et artius cum enuntiatione conectatur. E. V, 90 « formosum (sc. pedum) *paribus modis* atque *aere*. » A. II, 204 « gemini *immensis orbibus* angues Incumbunt pelago. » Iungere possumus : *angues immensis orb.*, vel : *angues incumbunt imm. orb.* Sed, ut videtur, ablativus qualitatis in ablativum instrumenti reducitur. G. II, 309 « ad caelum *picea* crassus *caligine* nubem (ignis ruit). » IV, 468 « Caligantem *nigra formidine* lucum. » 538 « quattuor eximios *praestanti corpore* tauros. » E. II, 51 « Cana *tenera lanugine* mala. » A. III, 656 « Ipsum inter pecudes *vasta* se *mole* moventem. » 706 « vada dura lego *saxis* Lilybeia *caecis*. » VIII, 197 « Ora virum *tristi* pendebant pallida *tabo*. »

Nota A. III, 618 « Domus *sanie dapibus*que *cruentis*. » *Sanie dap. cruent.* cum *domus* iungitur : ablativus est scilicet qualitatis vel comitatus, quamvis notio insit praedicati et hunc ablativum cum adiectivo vel participio constructum exspectemus. Ea est Benoisti interpretatio qui recte locum difficilem enucleatur. Multopere vis locutionis minueretur, inquit, si Vergilius participium vel adiectivum, ut plenam, refertam etc. adiunxisset. Sanies et cruentae dapes sunt quasi materia qua domus facta est ; ablat. ergo ad abl. materiae possit recte referri. Ea est et A. Gellii interpretatio, quam plerique commentatores acceperunt. A. IV, 517 « Ipsa *mola manibus*que *piis* altaria iuxta. » *Mola manibusq. piis* : ablativus depingit reginam eiusque habitum.

Alii poetae maiori libertate in ablativo qualitatis construendo utuntur. Cf. Prop. I, 17, 24 « Ut mihi *non ullo pondere* terra foret. » III, 1, 31 « *Exiguo sermone* fores nunc

Ilion » i, e, non multum de te narrarent homines. III, 9, 38 « Semper proelia *clade pari* » (= quae paria damna utrique aemulo ferunt). Lucr. II, 664 « *Dissimili* vivunt *specie.* » 896 « Magni refert, ea corpora — *motibus, ordinibus, posituris* denique quae sint. » Catul. XXVIII, 11 « *Pari* fuistis *casu.* »

19. — Cum ex ablativo instrumenti ceteri ablativi, causae scilicet, modi et comitatus, copiae, materiae etc. defluant saepe fit ut apud Vergilium ablativus instrumenti ita construatur, ut aliqua affinitate cum ablativo modi vel materiae, vel etiam copiae cohaereat. Saepe etiam ablativus instrumentalis, accedente adiectivo vel participio, simul et absolutus videtur, ita ut pariter alterutrum defendere possimus.

In sequentibus locis ablativus instrumenti notionem etiam modi, vel materiae, vel comitatus, vel copiae continet : A. I, 107 « furit aestus *harenis* » (= *cum harena* quae imo mari iacet et fluctibus miscetur). 190 « Ductores capita alta ferentes *Cornibus arboreis* » (instr. et comitat.); iunge : *alta cornibus.* vel : ferentes *capita* (cum) *cornibus.* 293 « Claudentur Belli portae dirae *ferro* et *compagibus artis.* » Licet Conington iungendum esse velit *dirae ferro et compag.*; ita ut *ferro* et *comp.* ablativus causae vet instr. ad *dirae* revocandus videatur, non negari tamen potest et notionem materiae his verbis contineri. 402 « Dixit et avertens *rosea cervice* refulsit » (instr. et comit.). 416 « Ubi templum illi centumque *Sabaeo Ture* calent arae *sertis*que *recentibus* halant. » (instr. et copia). VII, 630 « leves ocreas ducunt *lento argento.* » (instr. et mater). E. VII, 60 « Iuppiter et *laeto* descendet plurimus *imbri.* » (instr. et modus : nam iungere potes : « *plurimus imbri* », = abondant par la pluie; aut *descendet imbri* = descendra en pluie). G. II, 541 « nos immensum *spatiis* confecimus aequor. » (inst. et mod.).

Ablativus modi cum ablativo absoluto causam vel instrumentum significante confunditur; G. I, 327 « fervetque *fretis*

spirantibus aequor. » 433 « Sin ortu quarto — pura neque *obtusis cornibus* exit. » A. I, 166 « *scopulis pendentibus* antrum. » 164 « *silvis* scaena *coruscis*. » 480 « ibant *crinibus* Iliades *passis*. » VIII, 437 « Gorgona *desecto* vertentem lumina *collo*. » X, 405 « *optato* ventis aestate coortis. » (= ex voto); Cf. Ter. Andr. III, 3, 1 « *Optato* advenis. » G. II, 406 « nunquam *custodibus illis* Nocturnum stabulis furem — horrebis. » VIII, 96 « viridesque secant *placido aequore* silvas. » 199 « *Magna* se *mole* ferebat. »

§ 3. — Ablativus loci.

Ablativus denique sedem alicuius rei, non solum in spatio, sed etiam in tempore indicat, ita ut idem casus ad *locum ubi* et *tempus quando* aliquid agitur designandum in usu sit. Primum igitur de ablativo loci proprio, deinde de ablativo temporis disseram.

A. — *Ablativus loci proprius.*

Non ita simplex est eius ablativi ratio ; sed eadem apud poetas invenitur varietas constructionis, quam modo de ablativo locum unde designante vidimus. Ablativum enim loci adhibent poetae nunc sine, nunc cum praepositione. Quin et Vergilius idem saepe verbum hic cum simplici ablativo, illic cum praepositione construit. Ut igitur rem ordine tractemus, primo rationem constructionis quae vulgo a scriptoribus prosae orationis observatur, explicabimus.

Eam ex grammaticis classicisque scriptoribus doctrinam excerpsi.

A. In simplici ablativo ponuntur ad locum *ubi* designandum :

1° Nomina urbium et parvarum insularum *tertiae declinationis* aut *pluralis numeri : Carthagine, Athenis, Sardibus, Philippis.*

2° Generaliores loci designationes, praecipue vero *loco, via, parte, terra, mari,* atque pronomina *qua, hac, illac, quacumque.* Aliquae tamen magis propriae et singulares loci designationes etiam ablativo simplici designantur ; sed tum plerumque propior determinatio, adiectivum scilicet, subicitur : Cic. Brut. 32 « Oratio *multis locis* est puerilis. » Tusc. V, 35 « Et earum rerum omnium *nostra urbe* summa copia. »

3° Quaecumque nomina locum indicantia, cum ipis adiectiva *totus, omnis, universus* adiciuntur : Caes. B. C. III, 32 « *tota provincia.* » Verg. E. I, 11 « Undique *totis* turbatur *agris.* » Praepositionem tamen *in* etiam apud Cic. ceterosque invenias : in Pis, 35 « *Tota in provincia.* »

B. Ceteris vero nominibus locum indicantibus praep. *in* anteponi solet. Vergilius vero ceterique poetae ab eo prosae orationis more ita deflectunt, ut saepissime praep., quaecumque sit loci designatio, omittant.

1° Pauca primum exempla referam, ubi Vergilius prosae orationis normam sequitur : *In* locali designationi praeponitur : G. II, 439 « Ipsae *Caucasio* steriles *in vertice* silvae. » 522 « Mitis *in apricis* coquitur vindemia *saxis.* » G. III, 376 « Ipsi *in defossis specubus* secura sub alta Otia agunt terra. » 557 « *In stabulis.*» IV, 90 « *In aula.* » G. II, 171 « *Extremis* Asiae victor *in oris.* » 231 « *In solido* puteum demitti iubebis. » 269 « Caeli regionem *in cortice* signant. » 384 « *Mollibus in pratis* unctos saluere per utres. » I, 369 « Aut *summa* nantes *in aqua* colludere plumas. » 436 « Votaque servati solvent *in litore* nautae. » 449 « *in tectis* salit

horrida grando. » A. I, 118 « apparent rari nantes *in gurgite vasto.* » 176 « rapuitque *in fomite* flammam. » Hic quidem non posset omitti praep. = flammam, i. e. scintillam *in fomite* acceptam et reconditam, rapido motu fovet et auget. 331 « *Quibus in oris* iactemur doceas. » II, 242 « Quater *ipso in limine* portae substitit. » 327 « *Incensa* Danai dominantur *in urbe.* » 568 « tacitam *secreta in sede* latentem Tyndarida aspicio. » III, 641 « *Cavo* Polyphemus *in antro.* » V, 124 « Est procul *in pelago* saxum. » 180 « *Sicca*que *in rupe* resedit. » VI, 273 « *Primis*que *in faucibus* Orci Luctus. » 279 « Mortiferumque *adverso in limine* Bellum. » 309 « Quam multa *in silvis* — lapsa cadunt folia. » 418 « *adverso* recubans immanis *in antro.* » 427 « Infantumque animae flentes *in limine primo.* » 436 « quam vellent *aethere in alto* nunc et pauperiem pati ! » 451 « Dido errabat *silva in magna.* » 581 « Fulmine deiecti *fundo* volvuntur *in imo.* » VII, 4 « *Hesperia in* magna. » 17 « *in praesepibus* ursi saevire. » 28 « *in lento* luctantur *marmore* tonsae. » 59 « Laurus erat tecti medio, *in penetralibus altis.* » 413 « *Tectis* hic Turnus *in altis* Carpebat quietem. » 601 « Hesperio *in Latio.* » VIII, 28 « Aeneas *in ripa* procubuit. » 83 « *Viridi in litore* conspicitur sus. » 104 « Ante urbem *in luco.* » 323 « *His* quoniam latuisset tutus *in oris.* » 424 « ferrum exercebant *vasto* Cyclopes *in antro.* » 526 « Caeli *in regione* serena. » (Ribbeck *in* omittit, Med. a m. pr. et Nonio fretus, qui locum refert). 592 « stant pavidae *in muris* matres. » 609 « Natum *in valle reducta* ut vidit. » 680 « stans *celsa in puppi.* » (Cf. X, 261). IX, 237 « qui patet *in bivio* portae. » 377 « Celerare fugam *in silvis* et fidere nocti. » Palat. scilicet et Gud. *silvis*, non *silvas* exhibent. *In silvas* tamen, quae est Rom. scriptura, omnes fere editores receperunt, quod et vividiori imagine rem depingit. *In silvas* enim idem valet ac : « iuvenes fuga silvarum recondita petunt. » 686 « *Ipso* portae posuere *in limine* vitam. » 700 « *fixo* ferrum *in pulmône* tepescit. »

709 « Talis *in Euboico* Baiarum *litore* saxea pila cadit. » 731 « tremunt *in vertice* cristae. » X, 36 « quid repetam exustas *Erycino in litore* classes ? » 48 « Aeneas *ignotis* iactetur *in undis*. » 390 « Gemini *Rutulis* cecidistis *in arvis*. » XI, 41 « *levique* patens *in pectore* vulnus. » 203 « *diversa in parte*. » 456 « *alto in luco*. » 515 « furta paro belli *convexo in tramite* silvae. » (Forbigerus *in* non accipit). 532 « *superis in sedibus*. » 866 « *ignoto in pulvere* linquunt. » 896 « Interea Turnum *in silvis* saevissimus implet nuntius. » XII, 4 « Poenorum *in arvis*. » 164 « *Bigis* et Turnus *in albis*. » 466 « Solum *densa in caligine* Turnum vestigat. » 587 « *latebroso in pumice* pastor vestigat apes. » 612 « *Extremo in aequore* Turnus insequitur. » G. I, 378 « Et veterem *in limo* ranae cecinere querelam. » 389 « Et sola *in sicca* secum spatiantur *harena*. » IV, 387 « Est in *Carpathio* Neptuni *gurgite* vates. » E. III, 106 « Dic *quibus in terris* tres pateat caeli spatium non amplius ulnas. » E. VI, 52 « tu nunc *in montibus* erras. » 51 « saepe *in levi* quaesisset cornua *fronte*. » III, 557 « *in stabulis* turpi dilapsa cadavera tabo. » IV, 90 « Melior *vacua* sine regnet *in aula*. » 533 « choros *lucis* agitabat *in altis*. » E. VI, 76 « gurgite in alto. » A. V, 192 « Nunc animos quibus *in Gaetulis Syrtibus* usi *Ionio*que *mari* Maleaeque *sequacibus undis*. » 449 « ut quondam cava concidit aut Erymantho aut *Ida in magna*. » 588 « *Creta in alta*. » 871 « Nudus *in ignota*, Palinure, iacebis *harena*. »

2° Quaedam nomina, quod etiam in prosa fieri solet, in simplici ablativo loci construuntur.

Loco : G. III, 84 « Stare *loco* nescit. » A. II, 322 « *quo* res summa *loco*? » 723 « *quo* sit fortuna *loco*. » XII, 506 « ea prima ruentes pugna *loco* statuit Teucros. » A. I, 443 « *Quo* primum — effodere *loco* signum. » A. III, 447 « Illa manent immota *locis*. » A. VI, 445 « *His* Phaedram Procrimque *locis* — cernit. »

Cf. Hor. Epist. I, 12, 25 « *Quo* sit Romana res *loco*. »

Stat. Theb. VII, 558 « *Quo* tua sit fortuna *loco*. » Liv. tunc ponit, tunc omittit *in* : II, 47, 5 « Missis ad consules nuntiis *quo loco* res essent. » XXXVII, 14, 5 « *In* eodem loco. » 43, 4 « *Quo*cumque *in loco*. » VII, 35, 7 « *In eo loco* sunt res nostrae. » III, 68, 3 « Peiore loco. » — Cic. praep. ante singularem *loco* solet omittere, ante pluralem *locis* non omittit nisi accedat relativum vel demonstrativum : Fam. VII, 20, 2 « Remoto, salubri, amaeno *loco*. » IV, 4, 4 « Is enim, si *eo loco* esset. » Brut. 32, 124 « Oratio puerilis est *multis locis*. » — Cato R. R. c. 1 « Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, *loco salubri*. » Enn. Ann. XIII, fr. 3 « *Quo* res sapsa (= ipsa) *loco* sese ostentat iubetque. » Prop. III, 15, 39 (cum praep.) « *In multis* mortem habitura *locis*. »

Terra, mari : A. I, 3 « *Terris* iactatus et *alto*. » Hic plurali numero *terris* plane poeticum est ; *terris et alto* = *terra marique*. A. IX, 491 « Hoc sum *terraque marique* secuta. » X, 162 « Iam quae passus *terraque marique*. » Cum praep. A. VIII, 200 « *Mari in alto*. »

Cf. Liv. I, 23 « Multum illi *terra*, multum *mari* pollent. » Cum praep. XXXVII, 29, 5 « Trepidaturque cum periculo et *in mari* et *in terra*. » Cic. cum praep. Pis. 19 « Periit *in mari*. » Cicero praepositionem omittit ante locutionem *terra marique*, cum duo nomina ita arte cohaerent ut in unum conflentur; si vero disiungantur, ut in loco ex Livio supra allato, poeticum esse censet praep. omittere Fin. V, 4, 9 « Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars *caelo, mari, terra*, ut *poetice* loquar, praetermissa sit. »

3° Vergilius vero non solum *mare*, sed et eius verbi consimilia *pelagus, pontus, aequor* eadem ratione construit. A. I, 70 « Aut age diversos et disice corpora *ponto*. » G. I, 372 « Omnis navita *ponto* humida vela legit. » A. IX, 121 « *Pon*toque feruntur. » A. VI, 345 « Qui fore te *ponto* incolumem. »

Iam diximus A. I, 181 *pelago* dativum esse = in pelagus. A. I, 667 « frater ut Aeneas *pelago* tuus iactetur. A. IV, 52 « dum *pelago* desaevit hiems. » G. I, 142 « *pelago*que alius trahit humida lina. » A. II, 179 « quod *pelago* et curvis secum avexere carinis. » 800 « in quascumque velim *pelago* deducere terras. » A. III, 124 « *pelago*que volamus. » 204 « Tres adeo incertos soles erramus *pelago*. » 478 « hanc *pelago* praeterlabere necesse est. » 506 « Provehimur *pelago* vicina Ceraunia iuxta. » 546 « Rursus agam *pelago*. » — A. I, 511 « Ater quos *aequore* turbo dispulerat. » A. V, 862 « Currit iter tutum *aequore* classis. » VII, 195 « advertitis *aequore* cursum. » A. XI, 746 « Volat igneus *aequore* Tarchon. » A. VII, 226 « Audit et si quem tellus extrema *refuso* Submovet *Oceano*. » (abl. loci).

4° Tum et ea quae mari confinia sunt loca, cum generali significatione usurpantur, *litus* in primis.

A. I, 184 « Navem in conspectu nullam, tres *litore* cervos Prospicit errantes. » 214 « *Litore* ahena locant alii. » Hic abl. *litore* a verbo *locant* pendet. A. II, 557 « Iacet ingens *litore* truncus. » A. IX, 316 « Arrectos *litore* currus (vident). » A. III, 277 « stant *litore* puppes. » A. VI, 902 id. A. VII, 477 « *litore* pulcher feras agitabat Iulus. » — Accedit adiectivum A. I, 196 « *litore Trinacrio*. » A. III, 16 « *curvo*. » 135 *sicco*. IV, 416 *toto*. VIII, 497 id. — Ut locus propius designetur, additur praepositio : VI, 362 « versantque *in litore* venti. » VII, 158 « primasque *in litore* sedes (molitur Aeneas). » X, 309 « Contra *in litore* sistit aciem. » G. I, 436 « votaque servati solvent *in litore* nautae. » — Cum adiectivo et praep.: VIII, 83 « *Viridi in litore* conspicitur sus. » XI, 184 « *Curvo in litore*. » A. VI, 162 « *In sicco litore*. » IX, 720 « *In Euboico* Baiarum *litore*. » X, 36 « *In Erycino litore*. » A. II, 24 « *Deserto in litore*. » G. III, 145 « *In extremo litore*. »

5° Per analogiam cum his nominibus Vergilius et *caelum*,

campus, solum in simplici ablativo ad locum designandum construit. G. I, 337 « quos ignis *caelo* Cyllenius erret in orbes. » 102 « At cum incerta volant *caelo*que examina ludunt. « 426 « Syrius ardebat *caelo*. » A. I, 289 « Hunc tu olim *caelo* spoliis Orientis onustum Accipies. » *Caelo* ab *accipies* pendet. A. II, 536 « Si qua est *caelo* pietas quae talia curet. » *Caelo* quidem hic dativus esse videtur, sed posset etiam esse ablativus loci. A. VI, 15 « Praepetibus pennis ausus se credere *caelo*. » *caelo* est abl. loci = in caelo Daedalus se credidit praepetibus pennis. 247 « Hecaten *caelo Ereboque* potentem. » I, 394 « aperto *caelo*. — *Polo* : A. IX, 21 « palantesque *polo* stellas — video. » Cf. Tibul. II, 5, 73 « atque arma ferunt crepitantia *caelo* audita. » Catul. 62, 20 « Hespere, qui *caelo* fertur crudelior ignis ? » Hor. Od. III, 5, 1 « *caelo* tonantem credidimus Iovem regnare. » S. I, 5, 9 « Iam Nox *caelo* diffundere signa parabat. »

Campo (campis), *solo* : A. IV, 177 et X, 767 « ingreditur*que solo*. » A. III, 392 « *Solo* recubans (sc. sus) » A. VIII, 38 « Exspectate *solo* Laurenti arvisque Latinis. » (possis et dativum defendere) A. X, 102 « Tremefacta *solo* tellus. » Cum adiectivo : A. VI, 192 *Viridi*. A. XII, 547 « *solo Laurente* sepulcrum » — G. II, 144 « Hinc bellator equus sese *campo* arduus infert. » Cf. A. IX, 53, ubi eadem locutio recurrit. A. X, 540 « Quem congressus agit *campo*. » 763 « Mezentius ingreditur *campo*. » XII, 897 » Saxum — *campo* quod forte iacebat. » — *Campis* : G. III, 246 « Catulorum oblita leaena — erravit *campis*. » G. I, 210 « serite hordea *campis*. » 314 « Spicea iam *campis* cum messis inhorruit. » A. III, 220 « Laeta boum passim *campis* armenta videmus. » IV, 404 Et nigrum *campis* agmen. » VII, 634 « Pars pedes ire parat *campis*. » Nisi forte mavis *campis* dativum (= in campos) esse. Cf. tamen IX, 25 « *Campis* ibat *apertis* », ubi certus est ablativus. A. X, 455 « Stare procul *campis* meditantem in proelia taurum. » A. XII, 383 « Dat funera *campis*. » 406

« *Campis* crebrescit horror. » Cum adiectivo : A. III, 13 « *Vastis campis* colitur terra. » A. VII, 294 « *Sigaeis* occumbere *campis*. » VII, 794 « *Totis* densentur agmina *campis*. » A. X, 335 « *Iliacis*. XI, 464 *latis*. — Cum praep. A. VI 888 « Aeris *in campis latis* vagantur. »

6° Tum et nomina *animus*, *pars*, *cor*, *mens*, *pectus* locali ablativo sine praep. a Vergilio construuntur.

Animo : E. III, 74 « Quod me ipse *animo* non spernis. » *Animo* (et *animis*) saepius fere expletivo sensu additur verbis animi affectum designantibus. — A. I, 149 « Saevit *animis* ignobile vulgus. » 582 « Quae nunc *animo* sententia surgit. » II, 575 « Exarsere ignes *animo*. » 660 « Et sedet hoc *animo*. » III, 34 « Multa movens *animo*. » IV, 15 « Si mihi non *animo* fixum immotumque sederet. » V, 720 « Tum vero in curas *animo* diducitur omnes. » 748 « Quae nunc *animo* sententia constet. » Nil obstat quin *animo* pro dat. energico vel possessivo habeas. VI, 158 « Caecosque volutat eventus *animo* secum. » 690 « Sic equidem ducebam *animo* rebarque futurum. » VII, 42 « actosque *animis* in funera reges. » VIII, 370 « At Venus haud *animo* nequicquam exterrita mater. » 530 « Obstupuere *animis* alii. » XI, 19 « Arma parate *animis*. » 491 « Exsultat *animis*. » XII, 535 « *Animis*que immane frementi. » X, 648 « *Animo* spem hausit inanem. » Cf. Enn. Ann. 212 « Ast *animo* superant atque aspera volnera belli despernunt. » Med. exsul. fr. 1. v. 288 « *Animo* aegra. » Terent. Andr. 273 « Quam ego *animo* caram pro uxore habuerim. » Adelph. 655 « *Animo* malest. » — Catul. LXIV, 252 « *Animo* volvebat curas. » 112 « *Animo* cupisti. » Hor. Od. III, 4, 68 « Omne nefas *animo* moventes. » S. II, 3, 213 « Stas *animo* ?

Corde : A. I, 209 « premit altum *corde* dolorem. » Cf. A. IV, 332 « *sub corde* premebat curam. » X, 465. A. IV, 533 « Secum ita *corde* volutat. » Cf. VI, 185 « Haec ipse *suo* tristi

cum corde volutat. » A. VIII, 522 id. — A. VI, 675 « si fert ita *corde* voluntas. » Cf. Enn. Ann. 49 « *corde* cupitus. » Catul. LXIV, 232 « condita corde mandata. » 95 « Heu misere exagitans *immiti corde* furores. » 100 « quantos illa tulit *languenti corde* timores ! » Plaut. Merc. II, 3, 12 « Nec quid *corde* nunc consili capere possim. »

Pectore : A. I, 657 « At Cytherea novas artes, nova *pectore* versat consilia. » V, 701 « Nunc huc ingentes, nunc illuc *pectore* curas Mutabat versans. » A. I, 227 « Tales iactantem *pectore* curas. » IV, 448 « *Pectore magno* persentit curas. » VII, 392. « Furiis accensas *pectore* matres. » XI, 368 « Si tantum *pectore* robur concipis. » XII, 912 « Tum *pectore* sensus vertuntur varii. » Tum cum praep. *sub* : A. I, 36 « Aeternum servans *sub pectore* vulnus. » IV, 67 « Vivit *sub pectore* vulnus. » 689 « *Sub pectore* stridit vulnus. » VII, 254 « Volvit *sub pectore* sortem. » XII, 829 « Irarum tantos volvis *sub pectore* fluctus. » *In* : A. IV, 563 « Illa dolos dirumque nefas *in pectore* versat. » V, 363 « Praesens *in pectore* virtus. » X, 838 « *In pectore* fusus barbam. » Cf. Catul. LXIV, 92 « Toto concepit *pectore* flammam. »

Mente : XI, 795 « Voti Phoebus succedere partem *mente* dedit. »

Ore : G. III, 439 « Linguis micat *ore* trisulcis. » G. I, 430 « Virgineum suffuderit *ore* ruborem. » XII, 69 « Tales virgo dabat *ore* colores.

Ablativis *parte* et *regione* Vergilius, ut Cicero Liviusque, semper attributivam determinationem, atque etiam praep. adicit. A. I, 474 « *parte alia.* » VIII, 682 « *parte alia* Marti currum instabant. » IX, 521 id. XII, 346 id. « Ex *diversa* penitus dum *parte* geruntur. » Cum praep. *de* : A. IV, 153 « *parte de alia.* » IX, 629 « caeli Genitor *de parte serena* intonuit. » — *ex* : A. X, 362 « At *parte ex alia.* » *in* : IX, 468 « Murorum *in parte sinistra* Opposuere aciem. » 690 « Turno *diversa in parte* furenti. » XI, 203 id. — *Regione* : A. IX, 390

« *qua* te *regione* reliqui. » VI, 887 « *tota regione* vagantur. » VIII, 528 « caeli *in regione serena*. » Cf. Liv. V, 8, 7 « forte *ea regione*, qua M. Sergius — praecerat, castra adorti sunt. » III, 66, 5 « ad moenia ipsa Romae populabundi *regione portae Esquilinae* accessere. »

Huc pertinet *bello*, quod temporis et loci notionem simul continere videtur, et apud Vergilium frequens occurrit. Sunt tamen qui *bello* saepius esse dativum commodi vel finalem, non ablativum loci aut temporis censeant. Multis in locis incertum esse casum fateor. Sed in sequentibus non potest negari ablativum esse : A. IX, 589 « tum primum *bello* celerem intendisse sagittam. » (= tum primum bello aderat, in bello versabatur). XI, 362 « nulla salus *bello* » (= in bello sita). XII, 43 « respice res *bello* varias. » XII, 347 « proles *bello* praeclara Dolonis. » A. I, 5 « Multa quoque et *bello* passus. » 330 « genus intractabile *bello*. » 444 « *bello* egregiam gentem. » VI, 478 « *Bello* clari. » X, 185 « Ligurum ductor fortissime *bello*. » — Pro dativo haberi potest XI, 338 « frigida *bello* dextera. » (= ad bellum), quod quidem confirmare videtur G. III, 97 « *frigidus in Venerem* senior. » VI, 878 « *bello* invicta dextera. » V, 754 « *bello* vivida virtus. » (= ad bellum). A. II, 315 « Sed glomerare manum *bello*. » III, 540 « *Bello* armantur equi. » VII, 482 « *bello* animos accendit agrestes. » Sed cum allatis supra locis ablativum esse constet, censeo, ubicumque casus forma incertus sit, per ablativum locutionem interpretandam esse. Cf. Hor. Od. I, 12, 42 « Curium — utilem *bello*. » 32, 6 « ferox *bello* » (patet hic *bello* esse locativum). Od. II, 16, 5 « *bello* furiosa Thrace. »

7° Cum accedunt adiectiva *totus*, *omnis*, *universus*, *summus* substantivo locum designanti, potest, vel in prosa oratione, praep. omitti. Cic. pro Flacc. 26 « *Toto orbe* terrarum. » Brut. 91 « *Tota Asia* disertissimus. » Liv. II, 45, 11 « *Totis castris* undique ad consules concurritur. » XXVI, 44, 5 « *Tota*

urbe. » Cic. Verr. II, 54 « *Omnibus oppidis* — regnasse. » Caes. B. C. III, 5 « *Omnibus*que *oppidis* maritimis. »

Totus : Verg. G. I, 174 « Armorum sonitum *toto* Germania *caelo* Audiit. » A. VI, 423 « *Toto*que ingens extenditur *antro*. » E. IV, 9 « *Toto* surget gens aurea *mundo*. » A. VIII, 427. XII, 501 « *Toto aequore*. » A. II, 113; V, 695 « *Toto aethere*. » A. IV, 416 ; VIII, 497 ; XI, 199 « *Toto litore*. » A. VII, 300 « Profugis *toto* me opponere *ponto*. » A. II, 421 « *Tota*que agitavimus *urbe*. » VI, 886 « *Tota regione* vagantur. » IX, 664 « It clamor *totis* per propugnacula *muris*. »

Omnis: G. II, 379 « Caper *omnibus aris* Caeditur. » III, 483 « *Venis omnibus* acta sitis » (= per omnes venas.) Cf. A. V, 683 « *Toto* descendit *corpore* pestis. » A. IV, 386 « *Omnibus* umbra *locis* adero. » Cum praep. *in* A. VIII, 718 « *Omnibus in templis* matrum chorus. »

Summus : A. I, 110 « Dorsum immane *mari summo*. » III, 22 « Tumulus, *quo* cornea *summo* Virgulta. » 655 « *Summo* cum *monte* videmus Ipsum — vasta se mole moventem. » IV, 168 « *summo*que ululârunt *vertice* nymphae. » V, 558 « it *pectore summo* Flexilis obtorti per collum circulus auri. » XI, 725 « hominum sator — *summo* sedet altus *Olympo*. » XII, 713 « Ac velut ingenti Sila *summove Taburno*.... » G. III, 195 « vix *summa* vestigia ponat *harena*. » VII, 70 « *Summa* dominarier *arce*. » VII, 171 « Tectum augustum, ingens — *Urbe* fuit *summa*. » XI, 547 « *Summis* Amasenus abundans Spumabat *ripis*. »

Sed praepositio non raro additur, praesertim ubi localis relatio et habitus accuratius sunt definienda. A. I, 106 « Hi *summo in fluctu* pendent. » A. II, 439 « Ceu multi *tota* morerentur *in urbe*. » G. I, 369 « Aut *summa* nantes *in aqua* colludere plumas. » Cf. Catul. LXIV, 105 « Nam velut *in summo* quatientem brachia *Tauro* quercum. »

Medius. — Notanda est apud Vergilium constructionis di-

versitas, ubi nomini adiectivum *medius* subicitur. Nunc enim omittit poeta noster, nunc adicit praep. *in*, et id quidem temere, ut videtur. Propius tamen rem inspicienti Vergilius rationem quamdam et normam servasse videbitur. De hac re cf. *Quaestiones Vergilianas* Wagneri, Quaest. XIV, Cuius excursus summam refero.

Adicitur praepositio :

A) Ubi *medius* proprie de spatio medio adhibetur : A. I, 441 « Lucus *in urbe* fuit *media*. » I, 109 « Saxa vocant Itali *mediis* quae *in fluctibus* Aras. » II, 512 « *Aedibus in mediis* — Ara fuit. » III, 624 « *Medio* resupinus *in antro* Polyphemus. » V, 110 « Munera — ante oculos *circo*que locantur *in medio*. » 160 « *Medio*que Gyas *in gurgite* victor, » i. e. in medio cursu, non extremo. VI, 282 « *In medio* ramos pandit ulmus. » II, 665 « Ut *mediis* hostem *in penetralibus* — cernam ? » A. X, 219 « *Medio in spatio* chorus ecce suarum Occurrit comitum. » E. III, 40 « *In medio* duo signa, Conon etc. » A. II, 328 « *mediis in moenibus* adstans equus. »

B) Ubi *in* idem valet atque *inter* : G. II, 283 « dubius *mediis* Mars errat *in armis*. » A. I, 49 « *Medii*sque *in milibus* ardet. » IX, 728 « Demens! qui Rutulum *in medio* non *agmine* regem Viderit irrumpentem. » A. III, 202 « Nec meminisse viae *media* Palinurus *in unda*. » IV, 156 « At puer Ascanius *mediis in vallibus* acri Gaudet equo. » G. 328 « Ipse Pater, *media* nimborum *in nocte*, corusca Fulmina molitur dextra. » XII, 125 « *Mediis in milibus* ipsi Ductores — volitant. » VI, 330 « *Mediis* effusus *in undis*. » XI, 683 « Ipse *catervis* vertitur *in mediis*. » A. VIII, 700 « Saevit *medio in certamine* Mavors. » VII, 577 « *Medio in crimine* caedis et *igni*. »

C) Cum rem quae agitur, non locum ubi quid agitur, indicat poeta, quod reddi fere potest per verbum adiuncta particula *dum*, vel per praep. *inter* : G. III, 486 « Saepe *in honore* deum *medio* stans hostia ad aram — cecidit. » 619 « *Opere in*

medio defixa reliquit aratra. » A. II, 67 « Ut *conspectu in medio* turbatus — constitit. » III, 308 « Deriguit *visu in medio*. » XI, 838 « *Medio* iuvenum *in clamore* furentum. » II, 533 « Priamus quanquam *in media* iam *morte* tenetur. » IV, 76 « *Media*que *in voce* resistit. » XII, 732 « Perfidus ensis Frangitur *in medio*que ardentem deserit *ictu*. » 908 « *In mediis conatibus* aegri Succidimus. »

Omittitur praepositio :

A) Cum *medius* improprie usurpatur, non ut locum qui sit inter ceteros medius indicet, sed ut fere praepositionum *in, per, inter* vim sustineat : G. III, 466 « *Medio* procumbere *campo* pascentem » (= in campo). 237 « Fluctus uti *medio* coepit cum albescere *ponto*. » A. I, 505 « *Media testudine* templi. » 638 « *Mediis*que parant convivia *tectis*. » V, 113 « Tuba commissos *medio* canit *aggere* ludos. » 188 « At *media* socios incedens *nave* per ipsos Mnestheus. » 423 « *Media* consistit *harena*. » IX, 28 « *Medio* dux *agmine* Turnus. » X, 665 « Turnum *medio* interea fert *aequore* turbo. » XI, 762 « Qua se cumque furens *medio* tulit *agmine* virgo. » XII, 92 « Hastam, quae *mediis* ingenti adnixa columnae *Aedibus* adstabat. » G. I, 297 « Rubicunda Ceres *medio* succiditur *aestu*. » Hic abl. tempus eadem ratione qua locum designat. A. I, 314 « Cui mater *media* se tulit obvia *silva*. » III, 73 « Sacra *mari medio* gratissima tellus. » 104 « Creta Iovis magni *medio* iacet insula *ponto*. » G. III, 237, id. *Medio in ponto* significaret vere in medio spatio maris Cretam sitam esse, et fluctum albescere. Vergilius hanc constructionis differentiam pro differentia sensus stricte observat.

B) Cum *medium* substantive sumitur, Vergilius eandem constructionis rationem observat, i, e, praep. addit vel omittit pro sensus differentia : E. III, 46 « Orpheaque *in medio* posuit silvasque sequentes. » 40 « *In medio* duo signa, Conon etc..... » A. VII, 227 « *In medio* plagarum. » G. II, 528 « Ignis ubi *in medio*. » III, 16 « *In medio* mihi Caesar

erit. » VIII, 675 « *In medio* classes—cernere erat. » IX, 395 « Nec longum *in medio* tempus. » — Sine praep. A. IV, 184 « Nocte volat caeli *medio* terraeque. » IX, 230 « Castrorum et campi *medio*. » XI, 547 « Fugae *medio*, summis Amasenus abundans Spumabat ripis » (= inter cursum.) III, 354 « Aulai *medio* libabant pocula Bacchi. »

Nihil huic Wagneri disputationi addendum esse existimo, qui mihi optime hanc de adiectivi *medius* constructione quaestionem absolvisse videtur.

8° Non solum cum adiectivis *totus*, *omnis*, etc., sed et cum *quovis alio adiectivo* localis notio nomine expressa definitur, simplicem ablativum Vergilius ponit. Ea constructio omnino a prosae orationis usu abhorret, et rarissima apud Ciceronem invenitur. Frequentior tamen iam apud Livium, tum et apud posteriorum aetatum scriptores.

Nil quidem est quod eam Vergilii libertatem loquendi miremur, ubi adiectivum ipsum localem notionem exprimit, ut *altus*, *imus*, *vastus*, etc. Tunc enim, ut de *medio* dictum est, vim praepositionis adiectivum sustinet.

G. I, 358 « Aridus *altis montibus* audiri fragor. » 411 « Saepe *cubilibus altis* — inter se in foliis strepitant. » A. I, 26 « Manet *alta mente* repostum Iudicium Paridis. » III, 644 « *altis montibus* errant. » G. III, 273 « stant *rupibus altis*. » A. IV, 691 « *alto* quaesivit *caelo* lucem. » XII, 244 « Iuturna *alto* dat signum *caelo*. » XII, 357 « Mucronem — *alto* tingit *iugulo*. » 365 « Ac velut Edoni Boreae cum spiritus *alto* Insonat *Aegaeo*. » (hic quidem *alto Aegaeo* pro dativo ab *insonat* pendente haberi possit). 939 « infelix *umero* cum apparuit *alto* Balteus. » A. IV, 187 « Luce sedet custos aut summi *culmine tecti*, *Turribus* aut *altis*. » IX, 470 « *turribus altis* stant maesti. » X, 121 « Miseri stant *turribus altis* Nequicquam. » A. VI, 603 « Lucent genialibus *altis* Aurea fulcra *toris*. » IX, 325 « *tapetibus*

altis exstructus. » — Cum praep. tamen: VII, 59, 275, 413. XI, 456 « *alto in luco.* » G. IV, 533 « *altis in lucis.* » E. X, 67 « *alta in ulmo.* » G. IV, 459 « *alta in herba.* » A. V, 841 « *alta in puppi.* » A. V, 220 « *alto in scopulo.* » VI, 436 « *alto in aethere.* » etc. — A. III, 110 « Habitabant *vallibus imis.* » G. I, 374 « *Vallibus imis* aeriae fugere grues. » Praeterea *vallibus imis* per prolepsin adhibetur, de quo vide infra. A. II, 419 « *Imo* Nereus ciet aequora *fundo.* » III, 577 « *Fundo*que exaestuat *imo.* » III, 421 « *Imo* barathri ter *gurgite* vastos Sorbet in abruptum fluctus. » In *imo gurgite* notio instrumenti cum locali miscetur. » XII, 422 « Omnis stetit *imo vulnere* sanguis. » V, 498 « Extremus *galea*que *ima* subsedit Acestes. » VII, 91 « *Imis* Acheronta affatur *Avernis.* » Cum praep. *sub* : A. X, 464 « *Imo sub corde.* » XI, 23 « *Imo sub Acheronte.* » V, 239 « *Imis sub fluctibus.* » — A. I, 52 « Hic *vasto* rex Aeolus *antro* luctantes ventos — premit. » A. III, 197 « Dispersi iactamur *gurgite vasto.* » VIII, 446 « Chalybs *vasta fornace* liquescit. — A. II, 489 « Tum pavidae matres *tectis ingentibus* errant. » — A. II, 528 « *Porticibus longis* fugit. » I, 56 « *Celsa* sedet Aeolus *arce.* » II, 761 « Et iam *porticibus vacuis,* Iunonis *asylo,* — praedam asservabant. » IV, 82 « Sola *domo* maeret *vacua.* » 199 « Templa Iovi centum *latis* immania *regnis.* » G. II, 468 « At *latis* otia *fundis.* » XI, 465 « *Latis* diffundite *campis.* » G. I, 391 « *Testa* cum *ardente* viderent Scintillare oleum. » G. II, 27 « Viva *sua* plantaria *terra.* » 110 « Fluminibus salices crassisque paludibus alni Nascuntur, steriles *saxosis montibus* orni. » Ladewigius *flum., crass. pal., sax. mont.*, vult esse dativos commodi. Ego potius Forbigero assentior, cui placet ablativos esse loci. Non enim *fluminibus* haerendum, nam Vergilius, ut ex permultis exemplis patet (cf. infra, p. 221), nomina etiam sola simplici ablativo construit. E. II, 40 « Nec *tuta* mihi *valle* reperti. » A. I, 394 « Iovis ales *aperto* turbabat *caelo* » (sc. cycnos). 572 « Vultis et *his*

mecum pariter considere *regnis*. » 629 « Iactatam voluit *hac* demum consistere *terra*. » II, 245 « Monstrum infelix *sacrata* sistismus *arce*. » 379 « Improvisum *aspris* veluti qui *sentibus* anguem Pressit. » 772 « *tectis urbis* sine fine furenti. » III, 147 « ipse *iugis Cynthi* graditur. » 150 « tantum *egregio* decus enitet *ore*. » V, 52 « *Argolicove mari* deprensus et *urbe Mycenae*. » 102 « *Ionioque mari* Maleaeque *sequacibus undis*. » 252 « Puer *frondosa* regius *Ida* veloces cervos fatigat. » 717 « *his* habeant *terris* sine moenia fessi. » VI, 71 « Te quoque magna manent *regnis* penetralia *nostris*. » 371 « *Sedibus* ut *placidis* saltem in morte quiescam. » 505 « Tunc egomet tumulum *Rhaeteo litore* inanem Constitui. » 643 « *fulva* laetantur *harena*. » 673 « *Lucis* habitamus *opacis*. » VIII, 220 « Alcidae exarserat *atro felle* dolor. » Felle = *animo*, i. e. in animo, in pectore felle (= ira) pleno. X. 511 « Auctor advolat Aeneae *tenui discrimine* leti Esse suos. » V, 190 » Troiae sorte suprema. » (locus et tempus simul indicantur). G. II, 155 « tot congesta manu *praeruptis* oppida *saxis*. » 185 « *tractu* surgens oleaster *eodem*. » III, 225 « longeque *ignotis* exsulat *oris*. » 330 « currentem *ilignis canalibus* undam. »

Ex citatis locis Vergilius nomen adiectivo (vel genetivo attributivo) determinatum nunc cum praepositione, nunc simplici ablativo nullo discrimine construere videtur. De hac tamen constructionis varietate haec animadvertenda. Saepe Vergilius *in* inter adiectivum et nomen interponit, non quia id syntaxis ratio postulat, sed ne adiectivum nomini iuxtaponatur, quod a poetica oratione plane abhorret. Poetica enim oratio postulat ut adiectivum a suo nomine una vel pluribus verbis interpositis disiungatur. A. I, 106 « Hi *summo in fluctu* pendent. » III, 211 « Insulae *Ionio in magno*. » IV, 358 « Ipse deum *manifesto in lumine* vidi. » 504 « pura penetrali *in sede* sub auras erecta. » V, 214 « dulces *latebroso in pumice* nidi. » 488 « volucrem *traiecto in fune* columbam — suspendit. » VI, 636 « *adverso* in *limine* figit. » X, 387 « ensem *tumido in pulmone* recondit. »

Eadem ratione concursum adiectivi et substantivi Vergilius vitat interiecta praep. *ex, ab*, v. g. A. I, 19 « *Troiano a sanguine* duci. » II, 290 « ruit *alto a culmine* Troia. » VII, 209 « *Thyrrena ab sede* profectum. »

Tunc et aliam causam hanc positae praepositionis recte mihi videtur invenisse Wagnerus : « Hac ipsa re, inquit, non raro consulitur soni elegantiae, ne scilicet duae vicinae arses syllabas habeant pariter cadentes : A. I, 148 « Ac veluti *magno in populo*. » II, 356 « Raptores *atra in nebula*. » 718 « Me *bello ex tanto* digressum. » V, 449 « aut Erymantho, aut *Ida in magna*. » VII, 379 « turbo, quem pueri *magno in gyro* — exercent. » 601 « Mos erat *Hesperio in Latio*. » (Wagner, Quaest. Vergil. XIV.)

9° Vergilius denique nuda substantiva sine ullo adiectivo vel demonstrativo, ablativo locali construit ; in hoc quidem summa libertate poetis concessa usus. Poetae enim, ait Zumptius, nullos intra fines continentur, dum ablativum sine praepositione adhibent ad locum ubi quid agitur indicandum.

G. I, 413 « Corvi inter se *foliis* strepitant. » 430 « at si virgineum suffuderit *ore* ruborem. » Cf. III, 439 « *ore*. » I, 480 « Maestum illacrimat *templis* ebur. » II, 415 « *Ripis* fluvialis harundo. » III, 92 « Talis et ipse iubam *cervice* effundit equina. » 149 « tota exterrita *silvis* Diffugiunt armenta. » 184 « *stabulo* frenos audire sonantes. » 246 « Saevior erravit *campis* (leaena). » 192 « Iuvat ire *iugis*. » 353 « Neque ullae aut herbae *campo* apparent aut *arbore* frondes. » 414 « Disce et odoratam *stabulis* accendere cedrum. » 430 « *Ripis* habitans. » 434 « Saevit *agris*. » Cf. A. III' 110 *habitare* cum abl. A. III, 118 « solitos *aris* mactavit honores. » G. III, 436 « Neu *dorso* nemoris libeat iacuisse per herbas. » 438 « Catulos *tectis* aut ova relinquens. » 439 « Linguis micat *ore* trisulcis. » 404 « Facile ut *somno* adgrediare iacentem. » E. VIII, 95 « Has herbas atque haec *Ponto* mihi lecta venena ; — nascuntur plurima

Ponto. » A. I, 226 « *Vertice* caeli Constitit et Libyae defixit lumina *regnis.* » Nauck vult *regnis* esse dativum. Eius opinio simili constructione confirmatur G. II, 290 « *Terrae* defigitur arbos » ubi *terrae* dativus est pro « in terram. » Mallem tamen ego *regnis* pro ablativo locali accipere, quem ceterum concinnitas requirere videtur. 263 « Bellum ingens geret *Italia.* » 265 « *Latio* regnantem. » 403 « Ambrosiaeque comae divinum *cervice* odorem Spiravere. » 482 « Diva *solo* fixos oculos aversa tenebat. » 552 « *Silvis* aptare trabes et stringere ramos. » 578 « Si quibus eiectus *silvis* aut *urbibus* errat. » 607 « Dum *montibus* umbrae lustrabunt convexa. » 640 « Ingens argentum *mensis.* » 692 « Fotum *gremio* dea tollit. » 725 « Fit strepitus *tectis.* » II, 160 « Tu modo *promissis* maneas. » (= in promissis). Cf. VIII, 643 « At tu *dictis,* Albane, maneres ! » A. II, 243 « *Utero* sonitum quater arma dedere. » IV, 2 « Vulnus alit *venis.* » 29 « Ille habeat secum servetque *sepulcro.* » 84 « Aut *gremio* Ascanium — detinet. » 133 « Reginam *thalamo* cunctantem exspectant. » 149 « Tela sonant *umeris.* » 181 « Cui quot sunt *corpore* plumae. » V, 88 « Ceu *nubibus* arcus mille iacit colores. » Conington explicat : *nubibus* = in nubes. 275 « Seminecem liquit *saxo* lacerumque viator. » *Saxo* est abl. loci. 216 « Plausum pennis dat *tecto* ingentem. » 416 « Aemula necdum *temporibus geminis* sparsa senectus. » 459 « Quam multa grandine nimbi *Culminibus* crepitant. » 731 « Gens dura debellanda tibi *Latio* est. » 814 « Amissum quem *gurgite* quaeres. » VI, 99 « *Antro* remugit. » 187 « Si nunc se nobis ille aureus *arbore* ramus ostendat. » VI, 328 « Sedibus *ossa* quierunt. » 400 « Ianitor *antro* aeternum latrans. » XI, 514 « Ipse ardua montis per deserta *iugo* superans. » III, 195 « Inhorruit unda *tenebris.* » XII, 911 « Non *corpore* notae sufficiunt vires. » Localis abl. *corpore* dativum supplet.

Eadem ablativi localis constructio, sive nominis attributo quovis definiti, sive etiam nominis sine ulla determinatione,

apud omnium aetatum poetas occurrit; minus tamen frequens apud veteres. Cf. Naevius, Tarent. fr. 4 « Utrubi cenaturi estis, hicine an *triclinio* ? » Enn. Androm. Achmal. fr. 12 « Hectorem *curru quadriiugo* raptarier. » Plautus et Terentius praep. ponere solent. Attamen Plaut. Poen. I. 3, 22 « Quantum *Acheruntest* mortuorum. » Lucr. III, 978 « Nomen cum attributo III, 978 « *Acherunte profundo.* » II, 331 « Est locus *altis montibus.* » VI, 786 « Est etiam *magnis* Heliconis *montibus* arbos. » III, 784 « Denique in aethere non arbor, non *aequore salso* nubes esse queunt. » (Versus iterantur V, 128; ergo lectio *aequore in alto* reicienda videtur). IV, 627 « *Fine* palati. » III, 892 « Cum *summo* gelidi cubat *aequore* saxi. » V, 788 sq. « Pili — creantur quadrupedum *membris* et *corpore pennipotentum.* » Sine adiectivo III, 628 *Acherunte.* I, 902 *Silvis.* Catul. XVII, 1 « O Colonia quae cupis *ponte* ludere *longo.* » LXIII, 83 « Rutilam ferox *torosa cervice* quate iubam. » LXIV, 63 « Non *flavo* retinens subtilem *vertice* mitram. 92 « *Imis* exarsit tota *medullis.* » L. 16 « Defessa membra *lectulo* iacebant. » XXXI, 10 « Desiderato acquiescimus *lecto.* » LXII, 1 « Vesper *Olympo* exspectata diu vix tandem lumina tollit. » LXIV, 45 « Candet ebur *soliis*, collucent pocula *mensis.* » Tum aurea et argentea aetate hic usus late diffunditur. Hor. Od. I, 21, 6 « Quaecumque (sc. nemorum coma) aut *gelido* prominet *Algido*, *nigris* aut *Erymanthi silvis*, aut viridis Cragi. » I, 22, 17 « Pone me, *pigris* ubi nulla *campis* arbor aestiva recreatur aura. » Passim. Tum sine attributo Od. II, 15, 7 « Tum violaria et myrtus et omnis copia narium spargent *olivetis* odorem. » III, 24, 39 « Durataeque *solo* nives. » S. I. 5, 87 « Mansuri *oppidulo.* » II, 5, 27 « Magna minorve *foro* si res certabitur olim. »— Tibul. I, 2, 96 « Ancillam *medio* dotinuisse *foro.* » 3, 3 « Me tenet *ignotis* aegrum Phaeacia *terris.* » 28 « Picta docet *templis* tabula multa *tuis.* » 9, 57 « Semper sint externa *tuo* vestigia *lecto.* » II, 5, 47 « Ecce mihi lucent *Rutulis* in-

cendia *castris*. » III, 4, 27 « Intonsi crines *longa cervice* fluebant. » I, 2, 77 « Quid *Tyrio* recubare *toro* prodest ? » I, 2, 85 « Non dubitem procumbere *templis*. » 5, 53 « Herbas *sepulcris* quaerat. » II, 2, 3 « Urantur pia tura *focis*. » — Prop. I, 11, 1 « Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais, qua iacet *Herculeis* semita *litoribus*. » 10 « Parvula *Lucrina* cymba moretur *aqua*. » I, 20, 10 « Sive ubicumque *vago* fluminis *hospitio*. » III, 7, 40 « Naufraga cum *vasto* Graecia tracta *salo* est. » 13, 42 « Si forte *meo tramite* quaeris avem. » 15, 41 « Paeana Amphion (canebat) *rupe*, Aracynthe, *tua*. » Cf. I, 1, 16. 3, 2. 4, 22. 6, 2. 8, 15. 22, 24, 33. 9, 16 etc. — Sine attributo I, 14, 5 « Et nemus omne satas intendat *vertice* silvas. » I, 16, 40 « Sollicitas *trivio* pervigilare moras. » III, 4, 29 « Unde *salo* superant venti. » 10, 5 « Stent *aere* venti. I, 9, 21 « Pueri arcum sentire *medullis*. »

Tum prosaici scriptores, Livius in primis et Tacitus, hunc poetarum morem admiserunt. Livius magna libertate in ablativo loci omissa praep. construendo utitur. II, 34, 3 « *dextris litoribus laevoque mari*. » XXV, 15, 7 « *eadem ora* maris. » XXIV, 44, 4 « *quibus finibus*. » XLI, 6, 6 « *magna parte*. » XXIII, 8; 8 « *posticis partibus*. » XL, 32. 4 « *media acie*. » IV, 22, 4 « *diversissimis locis*. » XXIII, 19, 13 « *aggeribus infimis*. » XXXIX, 14, 9 « *libero conclavi*. » Sine attributo I, 34, 8 « *carpento* sedenti. » 40, 9 « *plaustro* coniugem ac liberos habens. XXII, 4, 6 « orta ex lacu nebula *campo* quam *montibus* densior sederat. » — Tac. Ann. I, 65 « figi *limosa humo*. » IV, 74 « *campo* aut *litore*. » Ann. XII, 67 « *faucibus eius*. » XIV, 10 « *tumulo matris*. » etc.

10° Post quaedam verba, quae loci notionem continent, Vergilius modo omittit, modo ponit praep. cum ablativo.

A) Verba *ponendi* : *ponere* et composita, *locare*, *collocare*, *sistere*, *statuere*, *accipere* diversa ratione construuntur.

α) Cum *simplici ablativo* : G. II, 24 « plantas *deposuit sul-*

cis. » A. II, 172 « Vix *positum castris* simulacrum. » VI, 508 « *patria ponere terra.* » G. III, 195 « vix *summa* vestigia *ponat harena.* » E. III, 54 « *sensibus* haec *imis* — reponas. » A. VIII, 335 « Fortuna et ineluctabile fatum — *his posuere locis.* » XI, 67 « Hic iuvenem *agresti* sublimem *stramine ponunt.* » A. III, 231 « Instruimus mensas *ari*sque *reponimus* ignem. » G. II, 273 « *Collibus* an *plano* melius sit *ponere* vitem. » A. II, 245 « Monstrum infelix *sacrata sistimus arce.* » 620 « Tutum *patrio* te *limine sistam.* » VIII, 367 « Stratis *locavit* effultum *foliis.* » II, 33 « Duci intra muros et *arce locari.* » VIII, 176 « *Gramineo*que viros *locat* ipse *sedili.* » X, 867 « *Tergo* consueta *locavit* membra. » A. VI, 412 « Simul *accipit alveo* ingentem Aenean. » 393 « *Accepisse lacum.* Cf. I, 685 « Te *gremio accipiet* laetissima Dido. » VII, 210 « Aurea nunc *solio* stellantis regia caeli *accipit.* » 233 « Nec Troiam Ausonios *gremio excepisse* pigebit. » 177 « Praecipuumque *toro* et villosi *pelle* leonis *accipit* Aenean, *solio*que invitat acerno. » *Solio* vidimus (Cf. supra p. 152) dativum esse pro « in solium. » X, 906 « *iugulo accipit* ensem. » 104 « *Accipite* ergo *animis* atque haec mea figite dicta. » XI, 884 « Nec *moenibus* audent *accipere* orantes. » I, 289 « *Caelo accipies* hunc. » III, 78 « Haec fessos *tuto* placidissima *portu Accipit.* » 242 « Sed neque vim *plumis* ullam nec vulnera *tergo Accipiunt.* » VIII, 271 « Hanc aram *luco statuit.* » XII, 885 « *Castris statuere.* » X, 288 « Aeneas socios *pontibus exponit.* »

β) Cum *praep.* : A. VI, 416 « Informi limo glaucaque *exponit in ulva.* » X, 305 « Viros *mediis exponit in undis.* » VIII, 53 « *Posuere in montibus* urbem. » XI, 427 « *In solido* rursus fortuna *locavit.* » XII, 445 « Caelique libens te *in parte locarim.* » III, 353 « Illos *porticibus* rex *accipiebat in amplis* » III, 117 « Tertia lux classem *Cretaeis sistet in oris.* »

B) Verba *standi* et *sedendi : stare, iacere, cubare, sedere, recumbere, considere, consistere.*

α) Cum *simplici ablat.* G. I, 401 « *Campo recumbunt.* » A. IX, 712 « Penitus *vadis* illisa *recumbit.* » G. II, 280 « *Campo stetit* agmen aperto. » A. II, 660 « Et *sedet* hoc *animo.* » Haec constructio iam supra citata potius ad poeticam linguam pertinet; in prosa oratione dicitur : « sententia stat alicui. » A. V, 701 « *Siculis*ne *resideret arvis.* » III, 289 et V, 136 « *Considere transtris.* » VI, 67 « Da *Latio considere* Teucros. » IV, 39 « Nec venit in mentem quorum *consederis arvis.* » II, 574 « *Aris* invisa *sedebat.* » VI, 575 « Cernis custodia qualis *vestibulo sedeat.* » VII, 430 « *Flumine pulchro consedere.* » X, 5,. 780. XI, 915. XII, 237, *considere* cum abl. VIII, 10 « *Latio consistere* Teucros. » 381 « Rutulorum *constitit oris.* » X, 75 « Patria Turnum *consistere terra.* » VIII, 45 « *Solo recubans.* » 232 « Ter fessus *valle resedit.* » 480 « *Insidere*, etc. — IX, 4 « *Turnus* — sacrata *valle sedebat.* » 639 « *Nube sedens.* » X, 785 « Ima *sedit inguine.* » XI, 726 « Summo *sedet* altus *Olympo.* » I, 697 « Se regina *aurea composuit sponda.* » 708 « *Toris* iussi *discumbere pictis.* »

β) Cum *praep.*: A. XII, 861 « Quae quondam *in bustis* aut *culminibus* desertis nocte *sedens.* » XI, 836 « Triviae custos *in montibus sedet* summis. » G. III, 86 « Iuba dextro *recumbit in armo.* » A. XII, 59 « *In te* omnis domus inclinata *recumbit.* »

C) Cum verbis *claudendi* et *abscondendi* ablativus loci in ablativum instrumenti abit. Saepius itaque a Vergilio verba illa cum simplici ablativo construuntur. A. I, 681 « Sacrata *sede recondam.* » V, 48 « Reliquias *condidimus terra.* » II, 621 « Spissis noctis se *condidit umbris.* » 748 « Ascanium — *curva valle recondo.* » VII, 303 « Optato *conduntur* Thybridis *alveo.* » 619, id. 775. VIII, 66. IX, 32, 424,

346, *recondere*. — Per analogiam cum I, 681 « *Sacrata sede recondam.* » Vergilius verbum *mandare* cum abl. construit A. IX, 214 « Qui me *mandet humo solita.* » XII, 53 « vanis sese *occulat umbris.* » VIII, 212 « *saxo occultabat* opaco (sc. tauros). » — *Condere in* : A. II, 401 « nota *conduntur in alvo.* » IX, 150 « nec equi caeca *condemur in alvo.* » 441 « Rutuli clamantis *in ore condidit* adverso ensem. » X, 387 « ensem tumido *in pulmone recondit.* » G. III, 96 « *abde domo* (sc. equum) » Ablativus indicat equum iam in domo tanquam in carcere abdendum, ubi tranquillam et obscuram vitam agat et tantum domestico usui reservetur. Non eodem sensu diceretur *abde domi*. A. VII. 387 « Natam *frondosis montibus abdit.* » Ea verbi *abdere* cum abl. cum vel sine *in* constructio poetica est, classici autem scriptores *abdere in* cum acc. construere solent. A. VI, 734 « *clausae tenebris* et *carcere* caeco. » II, 258 « *inclusos utero* Danaos laxat. » X, 136 « *inclusum buxo* aut Oricia *terebintho.* » XII, 210 « artificis manus *aere* decoro *inclusit.* » VIII, 248 « *inclusum cavo saxo,* » II, 45 « aut *hoc inclusi ligno* occultantur Achivi. » III, 352 « *clausa* tenent *stabulis* armenta. » IV, 364 « *speluncis* lacus *clausos.* » II, 600 « *saepsit* se *tectis.* » II, 135 « Limoso *lacu delitui.* » A. X, 805 « tuta *latet arce* viator, Aut amnis *ripis* aut alti *fornice* saxi. » VI, 406 « ramum qui *veste latebat.* »

Apud ceteros poetas eadem constructionis diversitas. Cf. Lucr. 1, 903 « quod si facta foret *silvis abscondita* flamma. » III, 105 « sic animi sensum certa non *parte reponunt.* » IV, 71 « prima *fronte locata.* » Cum praep. I, 879 « primaque *in fronte* locata. » III, 610 « *in* certa *regione* locatum. » VI, 1223, « strata *viis* animam *ponebat in omnibus* aegre. » II, 332 « *in campis consistere.* — Prop. I, 8, 25 « *Autaricis* licet haec *considat in oris.* » 17, 22 « Molliter et *tenera poneret* ossa *rosa.* » III, 15, 16 « Et caput *in* dura *ponere* iussit *humo.* » 23, 23 « Haec aliqua *propone columna.* » — Tibul. I,

1, 43 « satis est *requiescere lecto.* » 46 « puellam tenero *detinuisse sinu.* » III, 4, 24 « Phoebus est visus *nostra ponere sede* pedem. » I, 3, 26 » puro *secubuisse toro* » 2, 70 « *ponat* et *in* capto Martia capta *solo.* » — Hor. S. II, 6, 101 « Cum *ponit* uterque *in locuplete domo* vestigia. »

Liv. XLIV, 25, 10 « pecuniam *in templo depositurum.* » XXIV, 37, 8 « *in praesidio impositum.* » XXVIII, 44, 10 « *in Africa exponere.* » XXVI, 15, 9 « Litteras cum *in gremio reposuisset.* »

11° Animum denique lectoris ad hanc singularem ablativi constructionem advertam, qua ablativus cum verbo motum indicante proleptico sensu, non ad motum ipsum exprimendum, quod fit per accusativum, sed ad finalem statum describendum qui actionem perfectam sequitur.

Hoc fit praecipue post verba *mergere, demergere, immergere, fundere, effundere, extendere* similiaque. Ablativus potest etiam pro ablativo instrumenti haberi, ut Draegero placet. (Hist. Synt. I, p. 511). A. VI, 169 « Spumosa *immerserat unda.* » 267 « Pandere res alta *terra* et *caligine mersas.* » 348 « Nec me deus *aequore mersit.* » Cf. *mergere sub* 342 « quis te medio *sub aequore mersit?* » X, 559 « *gurgite mersum* unda feret. » A. VI, 512 « His *mersere malis.* » XI, 28 « *funere mersit* acerbo. » G. I, 272 « gregem *fluvio mersare* salubri. » IX, 589 « multa porrectum *extendit harena.* » V, 374 « fulva moribundum *extendit harena.* » XI, 465 « Equitem latis *diffundite campis.* » XII, 380 « *effundit*que *solo.* » Cum praep. *in* : VI, 339 « Mediis *effusus in undis.* « X, 838 « *fusus* propexam *in pectore* barbam. » Nos quidem exspectamus *in, ad pectus.* Cf. Ovid. Fast. I, 269 « Mulcens propexam *ad pectora* barbam. » Conington recte, ut mihi videtur, adnotat: « But Vergil's « in pectore » is more delicate. » G. I, 374 « Aut illum (sc. imbrem) surgentem *vallibus imis* Aeriae *fugere* grues. » *Vallibus inis* non idem est quod *in valles*, ut

Forbigero et Wagnero placet, sed idem valet atque οὖσαι *in vallibus imis*. Prolepsis enim in eo constat ut obiectum motus ablativo construatur, quia non ad ipsam actionem verbi, sed ad statum subsequentem respicitur. Forbigerus tamen recte adnotat : « Ablativo poeta utitur, tempus fugam secutum respiciens, quo se in vallibus tegunt. » Cf. Benoisti adnot. ad locum.

Cf. Prop. I, 18, 12 « Non altera *nostro limine* formosos *intulit* ulla pedes. » Tibul. II, 5. 80 « Prodigia indomitis *merge sub aequoribus*. » Nota audaciorem hanc ablativi constructionem Lucr. I, 250 « Res omnes discidio *redeunt in corpore* materiai. »

Eadem de causa aliquando fit ut locativus, qui, cum quaestio est per *ubi*, usurpari solet, adhibeatur tamen cum quaestio est per *quo*. Tunc etiam status actionem verbi secutus, non actio ipsa respicitur. A. I. 193 « Nec prius absistit quam septem corpora *fundat humi*. » Lectio quidem in controversia est. Sunt qui, optimis codd. freti, *humo* censeant esse scribendum. Tunc *humo* dativus esset = ad humum. *Humi* vero nihil habet in quod offendamus : tunc enim Verg. actionis effectum describit et animo iam septem corpora *humi* iacentia intuetur. Hic etiam apparent antiqui locativi vestigia, qui una eademque forma ad locum *ubi* et locum *quo* exprimendum, ut vidimus, valebat.

12° De locativo. — Data occasione pauca locativi exempla Vergilii referam, quae non supra enumerata sunt.

Cum antiquitus locativus, ut dixi, locum *ubi* et *quo* eadem forma indicaret, paulatim tamen usus invaluit, ut nomina primae et secundae declinationis in *ae*, *i* exeuntia non iam motum, sed sedem actionis exprimerent. Remanserunt igitur in latina lingua ad questionem *ubi* respondentia *humi*, *ruri*, *domi*, *Romae*, *belli*, et casus nominum propriorum primae et secundae declinationis in *ae*, *i* exeuntes. Poetae vero, ad antiquum

morem et usum reversi, eas formas, *humi* praesertim, etiam post verba motum indicantia retinuerunt.

Humi : A. II, 380 « Anguem *pressit humi* nitens. » IX, 753 « *Sternit humi* moriens artus. » X, 558 « Non te optima mater condet *humi*. » 697 « Prolem Dolichaonis Hebrum *sternit humi*. » V, 481 « Sternitur exanimisque tremens *procumbit humi* bos. » XI, 640 « *Excussus humi*. » A. I, 193, supra citatum. XI, 665 « quot *humi* morientia corpora *fundis*. »

Tum apud Vergilium quidam alii locativi occurrunt scriptoribus aureae aetatis inusitati :

Terrae : A. VI, 84 « Sed terrae graviora manent. *terrae* = *terra*, quod Rom. exhibet.

Harenae (= terrae) : XII, 382 « truncum reliquit *harenae*. » Cf. XI, 87 « toto proiectus corpore *terrae*. »

Patriae : XI, 594 « Corpus et arma *patriae* reponam. »

Campi : G. III, 343 « tantum *campi* iacet » (sc. pecus), i. e. pecus in terra recumbit. *Campi* enim non pro genetivo obiectivo vel quantitatis ab *tantum* pendente, sed pro locativo habendum mihi videtur. Hanc interpretationem Ladevigius commendat. Sic igitur locus explicandus : Nullum hospitium habent pecora ubi requiescant, et ideo in terra, sub dio iacent. *Campi* = humi. Videas tamen Benoisti adnotationem ad locum ; censet ille alteram interpretationem, qua *campi* genetivus obiectivus cum *tantum* coniungatur, vulgo esse acceptam et esse retinendam.

Nota Plaut. Bacch. II, 2, 27 « *proximae viciniae* habitat. » Idem Mil. II, 3, 2. — Ov. Met. V, 122 « Procubuit *terrae* mactati more iuvenci. » *terra* Met. II, 347 « cum vellet *terra* procumbere. » Apul. Met. III, 2 extr. « Me *orchestrae mediae* sistunt. » III, 16 in. « *tonstrinae* residentem. »

Animi : Nil igitur Vergilianae orationis ingenio doctrina repugnat eorum qui *animi*, quod multi genetivum relationis post adiectiva et verba affectum animi significantia esse volunt, pro locativo hadendum esse contendunt, eadem ratione

et significatione usurpatum, qua *mente, pectore,* etc. solent adhiberi. Idque hanc coniecturam confirmare videtur, quod *animi* eodem fere sensu quo *animo* (in animo) usurpatur. Haec locativorum *animi* et *ingenii* constructio in poetica lingua et inde a Livio in prosa etiam oratione frequentissima usu venit ; apud Sallustium tamen iam aliqua exempla apparent.

G. III, 289 « Nec sum *animi* dubius verbis ea vincere magnum quam sit. » G. IV, 491 « victus *animi*. » A. II, 61 « fidens *animi*. » IV, 203 « Amens *animi*. » 529 « infelix *animi* Phoenissa. » V, 202 « Sergestus furens *animi*. » IX, 246 « *animi* maturus Aletes. » 685 « praeceps *animi* Tmarus. » X, 686 « iuvenemque *animi* miserata Iuno. » Difficile quidem esset hic genetivum defendere. XI, 417 « Egregius *animi*. » XII, 19 « O praestans *animi* iuvenis. »

Cf. Liv, I, 58, 9 « Consolantur aegram *animi*. » Catul. LXIII, 4 « vagus *animi*. » Sall. Jug. LV, 4 « anxius *animi*. » Stat. Silv. III, 2, 64 « audax *ingenii*. » Apud Tacitum frequentissimus huius constructionis usus : Ann. XIV, 26 « aversus *animi* » ; H. III, 73 « captus *animi*. » Ann. I, 32 « ferox animi. » I, 69 « ingens *animi*. » et passim. Id vero notandum Ciceronem locativum *animi* non cum adiectivis, sed tantum cum verbis coniungere : Tusc. IV, 16, 35 « exanimatus *pendet animi*. » Leg. I, 3, 9 « ego *animi pendere* soleo. » ad Att. VIII, 5, 2. VIII, 16, 12. XIII, 51, 2. Fam. VIII, 5, 1 id. Eadem ratione et sensu *animo* Brut, II, 7 « *angor animo*. »

B. — *Ablativus locativus temporis.*

Ablativus temporis ad locativum ablativum refertur. Designat enim spatium vel punctum temporis quo res aliqua agitur, eadem ratione qua locum ubi.

1.—Tempus igitur ablativo designatur, cum quaestio fit per

quando ; nec solum ipsae temporis denominationes, ut *dies, mensis,* etc., sed etiam omnia nomina quae notionem temporis continent, id est, eventus, actiones quibuscum aliquid in tempore concurrit, e. g. *initio, principio* ; nomina deinde quartae declinationis e verbis derivata, *adventu, adspectu, discessu,* etc.

Nil quidem de hac re Vergilianae syntaxi peculiare. Quosdam tamen locos afferam, in quibus paulo liberior et fere poeticus ablativus temporis usu venit.

E. IX, 8 « Tu modo nascenti puero, *quo* ferrea primum Desinet ac toto surget gens aurea mundo. » (quo = cuius adventu). G. I, 300 « *Frigoribus* parto agricolae plerumque fruuntur. » 354 « *quo signo* caderent Austri. » 431 « *Vento* semper rubet aurea Phoebe. » (= cum ventus est.) 432 « Sin *ortu quarto* pura neque obtusis cornibus exit. » II, 5 « *pampineo autumno.* » 253 « Neu se praevalidam *primis* ostendat *aristis.* » (= « quand les épis sont encore verts. ») 319 « Optima vinetis satio, cum *vere rubenti* Candida venit avis, etc. » 324 « *Vere* tument terrae. » Cf. I, 43 *Vere novo.* II, 337 « Non alios *prima origine* mundi illuxisse dies crediderim. » G. III, 93 « Coniugis *adventu* pernix Saturnus iubam effudit, etc. « 400 « Quod *surgente die* mulsere *horisque diurnis Nocte* premunt; quod iam *tenebris* et *sole cadente* Sub lucem exportant. » G. IV, 134 « Primus *vere* rosam atque *autumno* carpere poma. » 156 « *Aestate* labores experiuntur. » E. IX, 48 « Astrum *quo* segetes gauderent frugibus et *quo* Duceret apricis in collibus uva colorem. » G. II, 149 « *alienis mensibus* aestas. » Cf. Lucr. I, 181 « *alienis partibus* anni. » G. II, 278 « Ut saepe *ingenti bello* cum longa cohortes Explicuit legio. » III, 260 « *Nocte.* » A. I, 470 « *Primo* quae prodita *somno.* » 672 « haud *tanto* cessabit *cardine* rerum. » II, 420 « *obscura nocte.* III, 309 « Labitur et *longo* vix tandem *tempore* fatur. » = post longum tempus ; graece Homerus Odyss. IV, 704 ὀψὲ δὲ δὴ μιν ἔπεσσιν ἀμειβόμενη προσέειπεν. 629 « Oblitusve sui est

Ithacus *discrimine tanto.* » IX, 502 « aut graviora timet quam *morte* Sichaei. » V, 2 « fluctus atros *aquilone* secabat. » VI, 206 « quale solet silvis *brumali frigore* viscum Fronde virere nova. » VII, 215 « *Discessu* mugire boves. » (= cum discederent.) Cf. X, 445 « *abcessu* Rutulum. » (= cum Rutuli abscessissent). VII, 407 « *medio* iam noctis abactae *curriculo.* » 583 « haec genitor *digressu* dicta *supremo* fundebat. » IX, 656 « Mortales *medio sermone* reliquit. » 667 « *pluvialibus Haedis* verberat imber humum. » XI, 547 « fugae *medio.* » 829 « simul *his dictis* linquebat habenas. » XI, 295 « Audisti — quae sit magno sententia *bello.* »

Nihil, ut dixi, Vergilianae syntaxi peculiare quod ad ablativi temporis usum pertinet. Id tamen notandum est, Vergilium non solum nomina temporalem notionem continentia, sed et quodvis nomen temporali ablativo construere, hocque paulum a prosae orationis scriptoribus discrepare.

Poeticum est, v. g. A. I, 672 « *tanto cardine rerum.* » Cf. Tibul. I, 1, 72 « Dicere nec *cano* blanditias *capite.* » (*cano cap.* tempus et adiunctum designat ; Gallice : « faire l'amour en cheveux blancs. » 2, 25 « En ego cum *tenebris* tota vagor anxius urbe. » 6, 59 id. Prop. I, 17, 21 « Illa *meo* caros donasset *funere* crines. » (tempus et causa simul : « à l'occasion de ma mort. ») 23 « illa meam *extremo* clamasset *pulvere* nomen. » 19, 19 « Quae tu vita *mea* possis sentire *favilla.* » (= cum ego mortuus ero et in favillam redactus). Lucr. I, 181 « Subito exorerentur *incerto spatio* atque *alienis partibus* anni. » III, 929 *leto.* VI, 360 « *frigore* enim desunt ignes, ventique *calore* deficiunt. »

Aliquando tempus quo aliquid fit (quando) per praep. *in* vel etiam aliam praep., *sub, cum, de,* designatur. A. VII, 87 « *Sub nocte* silenti. » id. IV, 527. Paulo infra tamen 102 « Monitusque *silenti nocte* datos. » X, 497 « una *sub nocte* iugali. » VI, 268 « sola *sub nocte.* » VII, 16 « sera *sub nocte.* » Quae sit ratio diversitatis explicare non possim, nisi forte intelle-

gendum sit noctem sic a poetis tanquam obscurum velum oculis proponi, sub quo homines in terra versentur et quo tegantur. Sed constructio non poetis propria ; nam primum apud Caesarem apparet B. G. V, 13. 3 « scripserunt dies continuos XXX *sub bruma* esse noctem. » (= tempore brumali). VIII, 49, 2, *sub decessu suo.* — *Sub* cum accusativo indicat quoddam tempus appropinquare, cum res aliqua fit : G. I, 478 « Simulacra modis pallentia miris visa *sub obscurum* noctis. » G. I, 340 « Extremae *sub casum* hiemis, iam vere sereno. » 321 « prima vel autumni *sub frigora.* » Cf. Liv. XXIX, 6 « *sub recentem pacem.* » *Cum* G. III, 324 « Luciferi *primo cum sidere* frigida rura carpamus. » — *in* G. II, 272 « adeo *in teneris* consuescere multum est. » Saepius Latini dicunt *a teneris*, sc. unguiculis.

2. — Ablativus tum indicat spatium temporis per quod quid agitur, id est, tempus continuatum, cum quaestio fit per *quamdiu.* Nomen tamen temporis in ablativo positum plerumque alio nomine adiuncto propius definitur. Cic. Phil. II, 1 « Nemo *his annis vigenti* reipublicae fuit hostis, qui non bellum *eodem tempore* mihi quoque indixerit. » Hic ablativus saepe in accusativum transit cum eadem fere significatione.

Aliqua tantum Vergilii exempla afferam, in quibus constructio ablativi temporalis paulo liberior et poetica videtur : G. II, 201 « quantum *longis* carpent armenta *diebus*, *Exigua* tantum gelidus ros *nocte* reponet. » III, 321 « nec *tota* claudes faenilia *bruma.* » A. I, 267 « triginta magnos *volvendis mensibus* orbes Imperio explebit. » (*volv. mens.* = dum se volvent menses). III, 309 « *Longo* vix *tempore* fatur. » VI, 535 « *Hac vice sermonum* roseis Aurora quadrigis — traiecerat axem.

Si de tempore agitur intra quod aliquid fit, et praesertim si per numerale adverbium aut distributivum numerum indicandum est *quoties* aliquid certi cuiusdam temporis spatio evenit, tunc praep. *in* ablativo adiungi solet, praesertim si

nullum accedat attributum definiens. Cic. Tusc. V, 35, 100 « bis *in die* saturum fieri. » Verg. E. III, 5 « Hic alienus oves custos bis mulget *in hora*. » Verg. autem praep. omittit : E. II, 42 « Bina *die* siccant ubera. » E. III, 34 « Bisque *die* numerant ambo pecus. » A. XI, 397 « Quos mille *die* sub Tartara misi » (= uno die, unius diei spatio).

Ea praepositione omissa constructio poetarum est et a prosae orationis norma aliena. Cato solus praep. omissa dicit R. R. 157 « bis *die* aqua calida foveto » ; sed ille etiam praep. adicere solet R. R. 56 « bis *in die*. » etc.

Nullum praepositionis *de* tempus designante exemplum apud Vergilium inveni.

§ 4. — Ablativus absolutus.

Cum enuntiatio secundaria suum subiectum habet, quod non in principali enuntiatione versatur, tunc nominativus subiecti mutatur in ablativum, cui et participium in ablativo adiungitur, quae constructio vulgo vocatur *ablativus absolutus*. Sic : *Aristide patria pulso*, Graecos aggressi sunt Persae = cum Ar. patria pulsus esset, etc.

Ablativus vero in latina lingua potissimum huic constructioni eligitur, quod hic casus etiam sine participio, easdem adverbiales relationes temporis, causae etc. exprimit. Graeca lingua genetivum adhibet, in qua genetivus absolutus qualitativam totius enuntiationis definitionem exprimit.

Haec vero denominatio (*ablativus absolutus*) non recta est. Non enim per se stat ille casus neque a ceteris enuntiati partibus seiungitur, sed contra artissimo cogitationis vinculo, sicut et ceteri casus, cum praedicato coniungitur et cohaeret. Nomen tamen excusationem habet, quod si ille casus ab enuntiationis corpore detrahitur, constructio non disturbatur. Ut

supra vidimus, ad ablativum aut temporis, aut causae, aut modi aut qualitatis aut denique materiae solet referri. Quin et, prout enuntiati sensus fert, ablativus absolutus reipsa ablativus causae, instrumenti, qualitatis, modi et materiae est. Perfacile est singulos ablativos absolutos ad suum genus revocare. Itaque non mihi in ea re immorandum esse existimo.

Paucas tantum proferam locos, ubi ablativi absoluti usus nota dignus videtur. A. I, 737 « Primaque, *libato*, summo tenus attigit ore. » Ablativus hic est partic. perfecti passivi absolute positi, et idem valet atque: *postquam libavit*. Eadem est in graeca lingua genetivi absoluti ratio : δηλωθέντος, ἀγγελθέντος, = cum monstratum, nuntiatum esset. Hoc participium perfecti passivi, cum sic solum adhibetur sine completiva enuntiatione, est proprie ablativus absolutus, et adverbialem sensum accipit. Sic Cato apud Serv. ad Verg. A. III, 314 « verba *tertiato* et *quartato* dicere » = ter vel quater verba iterare i. e. balbutire.

A. II, 129 « *Composito* rumpit vocem et me destinat arae. » Tum et adiectiva neutrius generis eadem ratione construuntur. V, 127 « *Tranquillo* silet, immotaque attollitur unda. » *Composito* (ut cum Ulysse compositum erat) pro usitatiore *ex composito* (Liv. V, 4, 2. XXXVI, 25.) vel *de composito* (Apulei. Apol. I. in.). Sine praepositione legitur etiam Ap. Ter. Phorm. V, 1, 29 et Nep. Dat. 6, 6. » (Forbig.) Livius hanc adiectivi neutrius generis constructionem in ablativo imitatus est : XXXI, 12, 5 « Priverni *sereno* per diem totum rubrum solem fuisse etc. » Ibid. 23, 4 « *tranquillo* pervectus Chalcidem. » Tac. A. I, 6 « iuxta *periculoso*, ficta seu vera promeret. »

CONCLUSIO

Haec habebam quae de casuum syntaxi apud Vergilium dicerem.

Quod si quis rem perspicere et ea in memoriam breviter contrahere voluerit, quae enumeravi, in quibus Vergilius a sueta loquendi ratione et usu discrepat, et omnia quae, quod ad casum syntaxim pertinet, nova in latinam linguam introduxit, tum et ea quae ex graeca syntaxi in latinum sermonem intro ducenda detraxit, is reipsa conspiciet quae sit Vergilio in latina lingua et poesi evolvenda et illustranda laus tribuenda. Ex eius enim operibus quidam linguae poeticae codex erui posset, ut ex Ciceronis libris prosae orationis leges colligere licet. Nec solum apud eum ea quae communiter ad poeticam grammaticam pertinent, sed novae etiam loquendi formulae et constructiones occurrunt, quae ipsi sunt propriae, quas primus ipse admisit.

Quod quidem ad rem nostram, casuum scilicet syntaxim pertinet, poetica grammatica, ut ex nostro per Vergilianam orationem discursu patet, a generali et communi prosae orationis grammatica quattuor praecipue rebus discrepat :

1° Poetae in id propensi videntur, ut praepositiones, qui-

bus locales relationes sive *ubi*, sive *unde* sive etiam *quo* exprimi solent, omittant, easque relationes, sive proprio metaphorico sensu habeantur, nudis casibus exprimant, ablativo scilicet locativo, si per *ubi*, ablativo proprio, si per *unde*, dativo et accusativo, si per *quo* quaeratur ; quod quidem cum faciunt, ad primitivam syntaxim revertuntur, tunc cum lingua pluribus casibus gaudebat, qui ad multiplices rerum cogitationumque relationes, sive proprias, sive metaphoricas, exprimendas sufficiebant ; tum et maiorem orationi celeritatem brevitatemque induunt, quemdamque antiquitatis colorem poeticae linguae valde accommodatum.

2° Ex eo paaepositionum restricto apud poetas usu sequitur ut casus magna libertate construantur ; quae nunquam tamen eo licentiae provehitur, ut inde oriatur orationis obscuritas. Sic. v. g. nullis poetarum oratio limitibus in genetivo obiectivo sive nomen, sive adiectivum, sive verbum definiat, construendo continetur ; multaque adiectiva, quae apud prosae orationis scriptores absolute usurpantur, vel praepositionem requirunt, apud poetas relativa fiunt et genetivo nominis obiectivo definiuntur. Non solum enim dicunt poetae *cupidus, appetens laudis, expertus belli, consors laboris*, etc., sed etiam, et id quidem solis ipsis conceditur, *fessi rerum, trepidae rerum, pauper aquae, libera fati, exsul patriae,* etc. Quaedam et verba cum genetivo construunt, quae in prosa oratione alium casum, accusativum vel ablativum adiuncta praepositione requirunt. Sic apud Lucret. « terra *ferarum* scatit. » V, 95 ; Plaut. Stich. 18 « Haec res *vitae* me, soror, saturant. » Hor. Od. III, 17, 16 « famulis *operum* solutis. » ; Verg. A. X, 411 « desistere *pugnae* », etc. Cf. de genetivo obiectivo, p. 98.

3° Casus inter se commutant aliumque in vicem pro alio usurpant, genetivum pro ablativo et vice versa, dativum pro genetivo possessivo, etc. Res enim rerumque relationes non ut prosaici scriptores concipiunt, sed proprio quodam res-

pectu intuentur, easque relationes propriis quibusdam constructionibus exprimunt. Sic, v. g. libenter possessorem, vel remotius obiectum verbi, vel etiam locum unde aliquid amovetur, tanquam activam personam sibi effingunt quae subiecto obicitur actionemque verbi vel in se recipit vel eidem resistit, unde intellegitur quare apud Vergilium dativus tam frequens occurrat ad possessionem vel localem relationem exprimendam, ubi genetivus vel ablativus in prosa oratione adhiberi soleat. Cf. E. VI, 16 « serta *capiti* delapsa. »

4° Permulta verba, quae natura intransitiva sunt, ea praecipue quae motum sive corporis sive animi designant, transitive usurpant eisque proximum obiectum in accusativo subiungunt : « *Arma* amens *fremit*. » Verg. A. VII, 460, etc. Cf. de accusativo post verba intransitiva, p. 36.

Vergilius non solum iis loquendi licentiis, quae sunt omnium poetarum, uti non dubitavit, sed et quasdam verba construendi audacias antea non usitatas in Latinitatem introduxit, quarum perpaucas quidem usus non confirmavit, plurimas vero poetae insequentium aetatum atque ipsi prosae orationis scriptores imitati sunt atque, ut ita dicam, civitate donaverunt. Primus omnium, v. g. quaedam intransitiva verba transitive cum accus. construxit : *ardere aliquem, bacchari montem, vigilare aliquid,* etc.; primus et quasdam constructiones adhibuit : *halare floribus, ture,* etc., quas in suo loco notavi.

Non is est tamen quem novitatis temere studiosum dicere possis. Non enim ea mente nova in linguam latinam intulit, ut propriam indolem et vim sibi vindicaret, legentisque animum orationis singularitate et constructionis audacia perstringeret; verum magna moderatione usus, nullas admisit novitates nisi quae cogitationibus exprimendis essent necessariae. Apud eum relatio qua duo vocabula cohaerent, apte semper casu definitur et menti legentis illucet. Id quidem poetarum est, ut sic duo vocabula iungant inter se solutiore tantum nexu cohaerentia, legentisque ingenio id relinquunt

faciendum, ut eam relationem detegat deprehendatque ; qua poeticae orationi propria libertate abusi sunt Propertius et Tacitus ita, ut saepe subobscuri fierent.

Vergilius autem maxime omnium poetarum ad illam lucidam amplamque Ciceronis orationem accedit. Nihil enim aliud fecit nisi ex lingua rudes et asperas Lucretii locutiones reiecit, Catulli orationem expolivit, ut illam praeclaram nitidamque Vergilii orationem effingeret, quae linguae poeticae finitum et perfectum exemplar est habenda.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. v. Kalend. April. MDCCCLXXXII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

Pag.

Prooemium 1

CAP. I. — DE NOMINATIVO ET VOCATIVO.

1. *Nominativus* est Casus subiecti, attributi et praedicati.. 28
Nominat. pro accusativo cum infinitivo post verba *sentiendi* et *dicendi* 28
Nominat. absolutus 32
2. *Vocativus. — Nominat. pro vocat* 30
Vocativus pro nom 31
Vocativus pronominis *meus* 30
Macte 32
Vocativus et nominativus mixti in eadem propositione... 31

CAP. II. — DE ACCUSATIVO.

Accusativi generalis usus 35
§ 1. — ACCUS. POST VEBBA TRANSITIVA 35
§ 2. — ACCUS. POST VERBA INTRANSITIVA 36
1. Quae *affectum animi* indicant 36
2. Quae non affectum animi indicant 39
3. Quae motum indicant 39
4. Usus aliquorum verborum notandus 41
Figura etymologica. — Constructio praegnans 42
5. Post verba cum praep. composita:
A) Cum praep. accusativum ipsa regente 43
1° Motum indicantia 43
2° Verba quietis cum praep. accus. regente composita. 46
B) Cum praep. ablativum regente 47
§ 3. — ACCUSATIVUS ADVERBIALIS 49
§ 4. — ACCUSATIVUS GRAECUS POST VERBA PASSIVA ET INTRANSITIVA, ADIECTIVA ET PARTICIPIA 52
§ 5. — ACCUSATIVUS LOCALIS POST VERBA MOTUM INDICANTIA. 61
§ 6. — ACCUSATIVUS TEMPORIS 66

Pag.
§ 7. — Accusativus pro nominativo per attractionem... 66
8. — Accusativus per appositionem constructus..... 67
§ 9. — Accusativus exclamationis..... 68

Cap. III. — DE GENETIVO.

§ 1. — Genetivus partitivus sive totius..... 71
A) Ab nomine quantitatem exprimente pendens..... 71
B) Cum adiectivis neutrius generis pro substantivis usurpatis..... 71
C) Cum ceteris adiectivis substantivorum loco usurpatis. 71
D) Ab adiectivo positivo pendens (*sancte deorum*)..... 74
§ 2. — Genetivus qualitatis..... 75
§ 3. — Genetivus appositivus et epexegeticus (« aerii mellis caelestia dona »)..... 76
§ 4. — Genetivus materiae et generis..... 80
§ 5. — Genetivus possessivus..... 81
§ 6. — Genetivus auctoris vel originis..... 82
§ 7. — Genetivus obiectivus :
A) *Cum susbtantivis*..... 83
B) *Cum adiectivis*..... 87
C) *Cum verbis* :
1° *Copiae* et *inopiae*..... 94
2° *Memoriae* et *oblivionis*..... 96
3° *Genet. graecus*..... 97

Cap. IV. — DE DATIVO.

§ 1. — Dativus commodi :
1. *Personae cui prodest*..... 100
2. *Personae ad cuius honorem*..... 102
3. *Dativus iudicantis*..... 103
4. *Dativus personae rem considerantis*..... 103
5. *Dativus indicans relationem alicuius cum aliquo.* 105
6. *Dativus dynamicus vel energicus*..... 105
§ 2. — Dativus possessivus (cum verbo *esse*)..... 108
§ 3. — Dativus acquisitionis :
1. *Post verba transitiva*..... 112
2. *Post verba intransitiva*..... 117
§ 4. — Dativus cum verbis compositis..... 122
A) *Cum verbis transitivis*..... 124
B) *Cum verbis intransitivis*..... 131
§ 5. — Dativus post adiectiva..... 137
§ 6. — Dativus finalis..... 140
§ 7. — Dativus ethicus..... 144
§ 8. — Dativus cum verbis passivis..... 145
1. *Cum gerundivo*..... 147

Pag.
2. *Cum participio perfecti*..... 147
3. *Cum ceteris verbi passivi temporibus*..... 147
§ 9. — Dativus post verba motum indicantia..... 149
Nomina I^ae declinationis 150
» II^ae » 150
» III^ae » 153

Cap. V. — DE ABLATIVO.

§ 1. — I. — Ablativus proprius..... 159
A) *Cum verbis proficiscendi*..... 159
B) *Cum verbis separandi*..... 161
Verbis *proficiscendi* et *separandi* Vergilius addit praepositionem..... 164
Quid de poetarum usu statuendum?..... 167
II. — Ablativus *originis* et *auctoris*..... 170
§ 2. — Ablativus instrumenti:
A. — 1. *Ablativus instrumenti proprius*..... 172
2. Cum verbis *instruendi, ornandi*, etc..... 176
3. Cum verbis *nutriendi, vivendi*, etc..... 177
4. Cum deponentibus *utor, fruor*, etc..... 177
5. Cum verbis *pluere, sudare, manare*, etc..... 178
B. — *Ablativus instrumentalis copiae* et *inopiae*.
6. Cum verbis et adiectivis *copiae* et *inopiae*:
A) *Verba*..... 179
B) *Adiectiva*..... 181
7. Cum verbis *usus est, opus est*..... 181
8. Ablativus instrumenti *expletivus*..... 182
9. Gerundium in —*ndo* propositionis partes gerit. 183
C. — 10. *Ablativus instrumentalis pretii*..... 185
D. — 11. *Ablativus instrumentalis mensurae, limitationis et differentiae*..... 186
12. *Ablativus comparationis*..... 187
E. — 13. *Ablativus instrumentalis materiae*..... 188
F. — 14. *Ablativus instrumentalis causae*..... 189
15. Verba et adiectiva:
A) Quae *animi affectum* vel *corporis habitum* exprimunt..... 193
B) Quae *excellentiam* et *praecellentiam* exprimunt..... 194
C) Verba quae *niti, fidere* significant..... 195
G. — 16. *Ablativus instrumentalis modi et comitatus*. 195
A) Nomini attributivum adiungitur..... 196
B) Nomina sine ulla attributiva determinatione ablativo modali construuntur..... 198
17. Cum praepositione..... 200

Pag.

H.— *Ablativus instrumentalis qualitatis*..... 202
18. Cum ablativo *modi* et *comitatus* cohaeret..... 202
19. Ablativus instrumenti cum ablat. *modi, materiae*, etc., cohaeret..... 204

§ 3. — Ablativus loci.

A. — *Ablativus loci proprius*..... 205
Qui sit generalis apud classicos scriptores usus... 206
Qui sit Vergilii usus..... 206
1° Vergilius prosae orationis normam sequitur .. 206
2° Quaedam nomina in simplici ablativo constructa..... 208
3° *Pelagus, pontus, aequor*..... 209
4° Mari confinia..... 210
5° *Caelum, campus, solum*..... 211
6° *Animus, cor, mens, pectus*..... 212
7° Cum accedunt adiectiva *totus, omnis*, etc., praep. omittitur..... 214
Medius..... 215
8° Cum quovis alio adiectivo Vergilius praepositionem omittit..... 218
9° Nuda substantiva omnis generis ablativo simplici construuntur..... 221
10° Post verba quae notionem loci continent praep. modo omittitur, modo adicitur..... 224
a) Verba *ponendi*..... 224
b) Verba *standi*..... 226
c) Verba *claudendi*..... 226
11° Ablativus cum verbis motum indicantibus (*mergere, fundere*, etc.)..... 228
12° De locativo..... 229
B. — *Ablativus locativus temporis*..... 231

§ 4. — Ablativus absolutus..... 235

INDEX LATINITATIS

A

Pag.

Ab (Verba composita cum) cum accusativo loci 47
» (Verba *separandi* composita cum) cum simplici ablativo. 161
» Post verba *proficiscendi* et *separandi* additur ablativo.. 164
» Indicat originem remotiorem 171
» Indicat instrumentum 177
Abdere domo 227
Abducere, transit. cum accus. loci 47
Absistere, cum simplici ablat. 161
Abundans, cum genet. obiect. 90
Accedere, cum accus. loci 43
Accendere aliquem alicui rei, in, ad alqd. 142
Accendi, cum accus. graeco (« accensa comas ») 57
Accingere se alicui rei 142
» *accingi* cum accus. graeco 57
Accipere alqm aliquo loco, vel cum praep. *in* 225
Acerba, accus. adverbialis 50
Ad (Verba composita cum) : transitiva cum accus. loci 43, 46
» » intransitiva cum dat. 131
Adferri, cum accus. loci 44
Adhaerere, cum dat. 131
Adlabi, cum accus. loci 44
Adniti columnae (vel *columna* ?) 131
Adsuescere animis bella 125
Adsimulari, cum accus. 55
Adsuescere, adsuetus cum ablat. instrumenti ? 177
Adsuesci, adsuetus cum accusat. graeco (« *assueta manus* »). 57
Adsurgere alicui (dat. personae ad cuius honorem) 102
Adsidere, transit. cum accus. 46
Advehi, cum accus. loci 44
Aequare alqd alicui rei, vel *cum aliqua re* 130
Aequore, ablat. loci 209
Agere, cum obiecto remotae significationis (« *agere vias* »). 36

Pag.
Altus, cum nomine in simplici ablativo ponitur. 218
Alto, dat. localis (= *in altum*). 151
Amens animi. 89
Animi, locat. 230
Animis, ablat. causae. 191
Animo, ablat. loci. 212
Ante (verba composita cum): *antevenire* cum acc. 44
Appellere, cum dat. loci. 125
Aptare alqd alicui rei ; *alqd aliqua re*. 116
Arcere, cum dat. commodi. 101
» cum ablat. separationis. 161
Ardere, transit. cum accus. 37
Arrigi animos. 57
Ascendere, cum accus. loci. 44
Averno, dat. localis (= in Avernum) 150
Averti, cum accusat. 57
Avo, dat. localis (= *ad avum*). 152

B

Bacchari, passive usurpat. 39
Bello, dat. local. 151
» ablat., temporis et loci notionem continet 214

C

Caelo, dat. localis (= *ad caelum*). 150
» abl. loci 211
Campo, dat. local. (= *in campum*). 152
Campo, *campis*, ablat. loci. 211
Campi, locativus. 230
Carpere viam, *iter*, etc 36
Carere, cum abl. 180
Cassus, cum abl. 181
Cedere, eius verbi variae significationes. 117
» cum simplici abl. loci *unde* 160
Certandi et *pugnandi* (verba) cum dat. — *Certare*. 121
Certus, cum genet. obiecti. 88
Cetera, acc. adverbialis 51
Cingi, *accingi*, cum accus. 54
Circum (verba composita cum), transit. cum accus : circumsonare, circumstare, circumvolare, etc. 44
Circumdare, constructio. 114
Circumdari, cum accus. 55, 56
Circumferre (= circumdare). 115
Clamare, transit. cum accus. 41

Pag.
Claudendi et *abscondendi* (verba) cum abl. loci 226
Comitatus aliquo, ab aliquo 176
Committi, cum accus. graeco 56
Complere, semper cum abl. 180
Composito, abl. absol. (= ut compositum erat) 236
Conceptus, cum abl. originis 170
Condere, cum abl. loci 226
» cum praep. *in* 227
Confidere, cum dat 120
Conscendere, cum accus 47
Consessu, dat. localis (= consessui) 152
Consulere, semper cum accus 119
Contendere alicui, cum aliquo 121
Convellere, cum abl. loci *unde* 162
Converti, cum accus. graeco 56
Convexa caeli 72
Corde, abl. loci 212
Corpora virum (= viri) 78
Cremari, cum accus 57
Crepare, transit. cum accus 41
Cretus, cum abl. originis 170
Cum (verba composita cum) : transit. cum accus 47
» » transit. cum dat. commodi 125
» » intransit. cum dat. commodi .. 133
» » separandi cum ablat 162
Cum instrumentum designat 174
» modum designat 200

D

Dare, verbum notionem *dandi* metaphoricam continet cum dat 112
» = mittere, dicere, etc 113
» verbo *dare* additur infinitivus (« tibi dedit mulcere fluctus ») 113
De (verba composita cum) : transit. cum accus. loci 48, 126
» » intransit. cum dat 132
» » separandi cum abl 162
De ablativo additur post verba *proficiscendi* et *separandi* .. 165
» indicat originem remotiorem 171
» materiam exprimit 189
» modum exprimit 201
Decurrere, transit. cum accus 48
Defendere alqd alicui (dat. commodi) 102
» *alquem ab aliqua re* 165
Defigi, cum accus. graeco 56

Pag.

Deici, cum accus. graeco 56
Delapsa capiti serta 164
Demitti, cum accus. graeco 56
Depellere, alqd alicui (dat. commodi) 102
Desistere, cum genet obiect 98
Detegi, cum accus. graeco 55
Devenire, transit. cum accus. loci 48
Di (verba composita cum): *diripere, dimovere* cum abl. loci unde 162
Die, in die = per diem 235
Diffidere, cum dat. et ablat 120
» cum dat 195
Dignus, cum ablat 194
Discrepandi (verba) cum dat 122
Dives, cum genet. obiect 90
» cum abl 90, 181
Doctus, cum genet. obiect 88
Dolere, cum abl. causae 193
Dominari, cum abl. loci construitur 119
Donare, alqd alicui, aliquem aliqua re 115
Dubius animi 91
Ducere colorem 36

E

Effetus, cum genet. obiect 89
Effundere, cum abl. loci («solo, undis»)—«Effusus in undis» 228
Egere, egens, cum genet. obiect 93
» cum genet. et abl 94-95
Egenus, cum genet. obiect 99
Egredi, cum abl. loci *unde* 160
Eicere, cum abl. loci *unde* 160
Eripere alqd alicui 126
Erubescere, transit. cum accus 37
Erumpere, transit. cum accus 48
Esse, cum dat. possessivo 108
Eundi (verba) cum simplici accus. loci 62-64
Evadere, transit. cum accus 48
» intransit cum dat 133
Ex (verba composita cum): transit. cum accus 48
» » intransit. cum dat 133
» » separandi cum abl 162
» additur ablativo post verba *proficiscendi* et *separandi* .. 165
» materiam exprimit 189
» modum » 201
Excidere, cum dat. vel ablat 133

Pag.
Exire, transit cum accus. ... 48
» cum abl. *unde* ... 161
Expertus, cum genet. obiect. ... 88
Explere, cum genet. et abl. ... 96
Expleri, cum accus. graeco (« Expleri mentem ») ... 56
Exseri, cum accus. graeco (« unum exserta latus ») ... 55
Exsors, cum genet. obiect. ... 89
Extendere, cum ablat. loci (— *harena*) ... 228
Exuere, constructio (*alqd alicui, aliquem aliqua re*) ... 116
Exui, cum accus. graeco ... 57

F

Facere (= sacrificare), cum abl. instrum. ... 173
Felix, cum genet. obiect ... 90, 92
» copiam exprimit. ... 182
Fecundus, cum abl. vel dat ... 181
Ferax, cum genet. obiect. ... 90
Fertilis, cum genet. obiect. ... 90, 181
» cum dat. commodi (vel abl.) ... 137
Fessus, cum genet. graeco (« fessi rerum ») ... 92
Festinare, transit. cum accus. ... 39
Fetus, copiam exprimit. ... 182
Fidere, cum abl. instrum ... 119
» cum dat. ... 120
« *confidere*, cum dat. vel abl. ... 195
Fidus, cum genet. obiect. ... 91
Figi, *defigi*, cum accus. graeco ... 56
Fluere, cum abl. instrum., copiam exprimit ... 179
Fluvio, dat. localis (= in fluvium) ... 152
Formae magnorum luporum (amplificatio per periphrasin). 78
Frequens, copiam exprimit. ... 182
Fremere, transit. cum accus. ... 37
Frui, cum abl. (et accus.) ... 178
Fugere vias (figura etymologica) ... 42
Fundere humi (= *in humum*) ... 229

G

Gemere, transit. cum accus. ... 37
Gignere, *genitus*, cum abl. originis. ... 170
Gremio, dat. local. (= in gremium) ... 150

H

Habere, possessionem exprimit. ... 110
Haerere, cum dat. vel abl. ... 136

Pag.
Harenae, locat. 230
Hibisco, dat. local. (= ad hibiscum) 157
Hoc, accus. adverbialis 50
Horrendum, accus. adverbialis 50-51
Horrere, horrescere, transit. cum accus. 37
Humi, locat. 239
Humo, dat. local. (= in humum) 151

I

Igni, dat. local. (= in ignem) 153
Immane, accus. abverb. 51
Immunis, cum genet. obiect. 89
Impatiens, cum genet. obiect. 88
Implecti, cum accusat. graeco 54
Imus, cum ad nomen accedit, in simpl. abl. ponitur 219
Ima gurgitis 72
Implere, cum genet. obiect. et abl. 95
Implecti, cum accus. graeco 57
In, cum ablativo instrumentum designat 176
» modum designat 201
» locum *ubi* designat 206
» adiungitur inter adiectivum et nomen in ablativo 220
» tempus designat 233
In die (= per diem) 235
In (verba composita cum): transit. cum accus. loci 44-46
» » transit. cum dat. 126
» » intransit. cum dat. 133
Incessere, transit. cum accus. 44
Incidere, transit. cum accus. 44
» varie construitur 134
Includere, cum abl. 227
Increpare, transit. cum accus. 44
Indigere, cum genet. obiect. 94
Indigus, cum genet. obiect. 90
Induci, cum accus. graeco 55
Induendi vel *exuendi* (verba). passive cum accus 53
Induere, alqd alicui rei, aliquem aliqua re 115
» *se alicui rei* 116
» cum abl. (= *in* cum accus.) 116
Infanda, accus adverb. 50
Infelix, cum genet. obiect. 92
Inflari, cum accus. graeco (« venas inflatus ») 55
Infundi, cum accus. graeco 55
Ingratus, cum genet. obiect 92
Ingemere, cum dat. (« fletu = fletui ») 134

Pag.
Ingredi, transit. cum accus. ... 44
» cum dat. ... 134
Ingruere, transit. cum accus. ... 44
Inhiare, transit. cum accus. ... 46
» cum dat. ... 134
Innare, transit. cum accus. ... 39, 44
» intransit. cum dat. ... 134
Innatare, transit. cum accus. ... 44
Inops, cum genet. obiect. ... 90
Inscius, cum genet. obiect. ... 88
Inscribi, cum accus. graeco (« nomina regum »). ... 58
Insidere, transit. cum accus. ... 46
» cum dat. ... 135
Insistere, transit. cum accus. ... 46
» cum dat. ... 135
Insonare, transit. cum accus. ... 41
Instare, transit. cum accus. ... 46
Insterni, cum accus. graeco ... 55
Insueta, accus. adverbialis. ... 50
Insultare, transit. cum accus. ... 47
Integer, cum genet. obiect. ... 89
Intendere, cum dat. vel abl. ... 128
Intrare, transit. cum accus. ... 44
Invadere, transit. cum accus. ... 44
Invehi, cum accus. loci. ... 44
Invidere alqd alicui; alicui aliqua re; rei alicuius. ... 119
Irae esse alicui, a Vergilio primum usurpatum. ... 143
Ire, transit. cum accus. loci. ... 64
» *viam* (figura etymologica) ... 39
Irrumpere, cum dat. primus Vergil. usurpavit. ... 135
Iter, cum accus. loci (« iter Italiam »). ... 64
Iungere alqd alicui rei; cum aliqua re. ... 129
Iurare, transit. cum accus. ... 41

L

Labi, cum abl. loci *unde*. ... 160
Lacu (= lacui), dat. localis. ... 153
Laetus, cum genet. obiect. ... 90
» cum dat. commodi. ... 138
» cum ablat. causae. ... 193
» cum ablat. copiae. ... 182
Laetor, cum ablat. causae. ... 193
Largus, cum genet. obiect. ... 30; 181
Latere, cum abl. loci. ... 227
Lateri, dat. local. (= in latus). ... 153

Pag.
Leto, dat. local. (= in letum). 150
Libato, abl. absol. (= postquam libavit)..... 236
Liber, cum genet. obiect..... 89
Licet, cum dat. praedicati (« liceat superesse nepotem. »).... 111
Litare, passive usurpatum..... ... 39
» cum abl. instrumenti 73
Litore, abl. loci (*in litore*)..... 210
Locare, cum abl. loci..... 225
» cum praepos 226
Loco, abl. loci..... 208

M

Macte, quid sit? 32
Magis, cum abl. comparationis..... 187
Mandare humo solita (abl. loci)..... 213
Manu, abl. instrum. expletivus..... 182
Maturus, cum genet. obiect..... 89
Mari, abl. loci (*in mari*)..... 209
Medius, in abl. loci, nunc sine, nunc cum praep. *in*..... 215
Medio, dat. local. (= in medium)..... 152
Medicari, cum dat. et accus 119
Meminisse, cum genet. obiect..... 96
Mente, abl. loci..... 213
Mergere, cum abl. loci (« — *unda, aequore*, etc. »)..... 228
Metuens, cum genet. obiect..... 94
Minari alqd alicui, aliquem aliqua re, etc.. 114
Miscere alqd alicui rei, alqd cum aliqua re, etc..... 130
Moles equi (= equus magna mole extructus)..... 79
Moveri, cum accus. graeco..... 55
Morti, dat local (= in mortem)..... 153
Mutare alqd aliqua re..... 186
Mutari, cum accus. graeco..... 55

N

Nasci, natus, cum abl. originis..... 170
Natare, transit. cum accus..... 40
Navigare, transit. cum accus..... 40
Neci, dat. localis (= ad necem, in necem)..... 150
Nectere, cum dat..... 130
Necti, innecti, subnecti, cum accus. graeco..... 54
Nescius, cum genet. obiect..... 88
Nomen est, cum dat.; cum genet. — *nomen dare, fingere, indicere*, cum accus..... 110-111
Nomine, abl. expletivus..... 183
Nulli hominum (= nulli homines)..... 73

O

Pag.
Ob (verba composita cum): transit. cum accus. ... 129
» » intransit. cum dat. ... 135
Oblivisci, cum genet. bis cum accus. ... 97
Obluctari, cum dat. ... 135
Occubare, cum dat. ... 135
Occulere, occultare, cum abl. loci ... 227
Olympo, dat. local. (= in Olympum) ... 150
Omnis, cum ad nomen accedit, praep. omittitur ... 214
Onerare alqd alicui rei (= imponere) ... 117
Opulentus, cum abl. ... 181
Opus est aliqua re ... 181
Opus (*urbis opus*) ... 87
Orco, dat. local. (= in Orcum) ... 150
Ordine, ablat. modi abundat; — *ex ordine* ... 201
Ore, abl. instrum. expletivus ... 182
» abl. loci ... 213
Ornari, cum accusat. graeco ... 55

P

Pado, dat. local. (= in Padum) ... 152
Parcere alqd alicui ... 119
Parte alia ... 213
Partem meam, accus. adverb. ... 51
Pascere, cum abl. instrum. ... 177
Pasci, cum accus. graeco ... 58
Pasci, depasci, transit. (= edere) ... 59
Patiens, cum genet. obiect. ... 88, 93
Patriae, locat. (= in patria) ... 150, 230
Pectore, abl. loci ... 213
Pelago, dat. local. (= in, ad pelagus) ... 152
» abl. loci ... 209
Pendere, cum simplici abl.; cum *ex*, *de*, *in*, *ab* ... 166
Percuti, cum accus. graeco ... 55
Perrerare, transit. cum accus. ... 40
Perfundi, cum accus. graeco ... 55
Pervenire, cum accus. loci ... 65
Pinguis, cum abl. copiae ... 182
Plaudere, transit. cum accus. ... 40
Plenus, cum genet. obiect ... 90
» cum abl. ... 181
Pluere, cum abl. copiae; vel cum nominativo rei, qua pluitur. 178
Plurima, accus. adverb. ... 50

Pag.
Poena, cum genet. personae cuius mors luenda est..... 85
Polo, abl. loci..... 211
Ponere (et composita), cum abl. cum vel sine praep 224-225
Ponto, dat. local. (= in pontum)..... 151
» abl. loci..... 209
Potens, cum genet. obiect..... 88
» cum abl. copiae..... 182
Potiri, cum abl..... 178
Prae (verba composita cum): transit. cum accus..... 48
» » » cum dat 129
» » intransit. cum dat..... 135
Praecedere, transit. cum accus..... 48
Praecipitare, cum abl. *unde*..... 160
Praelabi, transit. cum accus..... 49
Praescius, cum genet. obiect. 88
Praeter (verba composita cum), transit. cum accus..... 45
Praevertere, transit. cum accus..... 49
Pro (verba composita cum): transit. cum accus..... 49
» » separandi cum ablat 163
Probare alqd alicui..... 146
Procul, cum abl..... 167
Proficiscendi (verba), cum simplici abl..... 160
» » cum praepos..... 164
Profundo, dat. local. (= in profundum)..... 152
Prohibere alqm aliqua re, ab aliqua re..... 163
Properare, transit. cum accus..... 40
Propinquare, cum dat.; transit. cum accus..... 120
Prorumpere, transit. cum accus..... 49
» cum abl. loci *unde*..... 163
Protegi, cum accus. graeco..... 55
Pugnare, cum dat..... 121

R

Re (verba separandi composita cum), cum abl..... 163
Resignare occulos morte; *restare* 163
Recondere, cum abl. loci; cum praep. *in*..... 226-227
Recordari, cum accus..... 97
Redimiri, cum accus. 54
Redire, cum abl. loci *unde*..... 160
Regione, cum accedit adiectivum, in simplici ablat.; vel cum *in*..... 213
Replere, semper cum abl..... 180
Requiescere, transit. cum accus..... 40
Rerum Verg. libenter addit ad vim superlativi augendam... 74
Resonare, transit. et intransit..... 41

Pag.
Rorare, cum abl. copiae 178
Ruere, transit. cum accus. 41

S

Sancte deorum 74
Saturari, cum accus. graeco 56
Satus, cum abl. originis 170
Scindi abscindi, cum accus. graeco 57
Securus, cum genet. obiect 91
Separandi (verba), cum abl. loci *unde* 161
Similis, quomodo Verg. construat 138
Sistere, cum abl. loci 225
Solio, dat. local. (= in solium) 152
Solo, dat. local. (= in solum) 150
» abl. loci 211
Solvi, cum accus. graeco 56
Sonare, transit. cum accus 42
Spargere, alqd aliqua re; aliqd alicui 114
Spirare, transit. cum accus 42
Standi et *sedenti* (verba), cum abl. loci; cum praep. 226
Stare ventis, abl. causae 191
Strata viarum 72
Stupere, transit, cum accus 37
Suadere alqd alicui 119
Sub (verba composita cum): transit. cum accus. loci 45
» » transit. cum dat. 129
» » intransit. cum dat. 136
Sub, instrumento loci notionem addit 176
» cum accus. tempus proximum designat 234
» cum abl. tempus designat 233
Subire, transit, cum accus. 45
» cum dat.; cum *ad*, etc. 136
Sudare, cum abl. copiae vel instrum. 178
Suffundere (*alqd in aliqua re*) 129
Subter (verba composita cum), transit. cum accus. 46
Summus, cum accedit ad nomen, praep. omittitur 214-215
Summe deum Apollo (superlat. cum genet. partit. per laudationem) 74
Super (verba composita cum) 46-47
Superbus, cum abl. causae 193
Suspendere, cum abl., nunc cum, nunc sine praep. 166

T

Pag.
Telluri, dat. local. (= in tellurem)..... 153
Terra, abl. loci..... 209
Terrae, dat. local. (= in terram), sive locat. (= in terra)... 150
» locat. (= in terra)..... 230
Texere fugas..... 36
Timere, cum dat. commodi..... 100
Tonare, transit. cum accus..... 42
Totus, cum ad nomen accedit, praep. omittitur..... 214
Torquere cursus..... 36
Trahere gyros..... 36
Traici lora per pedes..... 58
Tranquillo, abl. abs. (= dum mare est tranquillum)..... 236
Transfodi, cum accus. graeco..... 55
Tremere, tremiscere, transit. cum. accus..... 37
Truncus, cum genet. obiect. (« trunca pedum »)..... 91
Tundi, cum accus. graeco..... 55

U

Universus, cum ad nomen accedit, praep. omittitur.... 214-215
Urbi, dat. local. (= in urbem)..... 153
Usus est aliqua re..... 181
Uti, cum abl..... 178

V

Vanus, cum genet. obiect..... 89
Vehi, cum accus. loci..... 41
Velari, cum accus. graeco..... 54
Venire, cum accus. loci..... 63
Vesci, cum abl..... 178
Vicem, accus. adverb..... 51
Vicinus, cum dat. et genet..... 139
Vigilare, transitive in passivo genere usurpatur..... 39
Vinciri, revinciri, evinciri, cum accus. graeco..... 54

ERRATA

Pag. 20, lin. 14 : paula — leg : paulo.
» 23, » 21 : arcto — leg : arto.
» 24, » 13 : siquis — leg : si quis.
» 25, » 19 : Poperutis — leg : Propertius.
» 25, » 23 : Kühmast leg: Kühnast.
» 28, » 16 : Ἀλεξανδρος — leg: Ἀλέξανδρος.
» 28, » 18 : ἐμπεσὼν — leg: ἐμπεσὼν.
» 29, » 5 : Comantes — leg : comantes.
» 30, » 28 : Pœn — leg: Poen.
» 31, » 32 : ἐφάνης — leg: ἐφάνης.
» 36, » 3 (ab imo) : transitivi — leg. transitive.
» 38, » 19 : usupata — leg : usurpata.
» 39, » 1 : solnm — leg: solum.
» 40, » 19 : Tyrrhemum aquor — leg: Tyrrhenum aequor.
» 42, » 27 : αμφ — leg: ἀμφ'.
» 42, » 27 : τω — leg: τῷ.
» 42, » 28 : Βουλεὺσῃ — leg: βουλεύσῃ.
» 44, » 7 : omnis — leg: omnes.
» 48, » 25 : Terentuim — leg: Terentium.
» 48, » 28 : inventae — leg: iuventae.
» 54, » 15 : crimibus — leg: crinibus.
» 54, » 26 : *corpara* — leg: *corpora*.
» 54 : Exempla quae ad *circumdari* pertinent (A. IV, 136, XII, 415) rogo referas ad 2ᵃ, p. 55.
» 56, lin. 21 : moesto — leg : maesto.
» 57, » 2 : collo — leg: colla.
» 57, » 26 : significatone — leg: significatione.
» 59, » 2 : αποστρεφ εται — leg : ἀποστρέφεται.
» 61, » 6 : accusitivum — leg : accusativum.
» 62, » 20 : *quietum* — leg: *quietem*.
» 64, » 29 : *Oxi* — leg: *Oaxis*.
» 65, » 20 : maritinam — leg: maritimam.
» 68, » 10 : amittit — leg: emittit.
» 70, » 3 : recepiens — leg : recipiens.
» 72, » 26 : podestri — leg: pedestri.
» 74, » 12 : ἀριδείκετος — leg: ἀρι-

Page 92 : Cum iam *maturus* inter adiectiva participationis et privationis cum genetivo coniuncta laudavissem, hic iterum idem vocabulum eosdemque Vergilii locos inter adiectiva insolentius cum genetivo graeco more constructa affero ; in utramque scilicet adiectivorum speciem pertinet. Rogo tamen exempla deleas vel p. 92 F, vel p. 89 C laudata.

» 95, lin. 5 : angius — leg : anguis.
» 104, » 21 : ἄνω - ἴοντι - ανακτές — leg : ἄνω - ἰόντι - ἀνακτές.
» 104, » 26 : ἀνδρί — leg : ἀνδρί.
» 105, » 21 : armigerante — leg : armiger ante.
» 108, » 16 : *moestis* — leg : *maestis*.
» 111, » 12 : consentuint — leg : consentiunt.
» 116, » 13 : Gudianius — leg : Gudianus.
» 119, » 1 : usitatus — leg : usitatius.
» 119, » 8 : eiusdum — leg : eiusdem.
» 120, » 10 : diffederet — leg : diffideret.
» 129, » 26 : *aliquae* — leg : *aliqua*.
» 132, » 17 : *collo* — leg : *colla*.
» 133, » 2 : octogintos — octingentos.
» 135, » 29 : ac. — leg : ac
» 141, » 21 : habet — leg : habent.
» 148, » 11 : passivum — leg : passivam.
» 152, » 5 : im — leg : in.
» 152, » 21 : Humo : Ipse feraces — leg : Humo : G. IV, 115.
» 166, » 26 : Aenae — leg : Aeneae.
» 173, » 7 : V, 605 — leg : V, 505.
» 173, » 9 : significat — leg : significet.
» 189, » 23 : regentem — leg : rigentem.
» 192, » 22 : facient — leg : faciant.
» 197, » 34 : an — leg : aut.
» 198, » 14 : au — leg : an.
» 202, » 17 : predicatum — leg : praedicatum.
» 206, » 12 : Et — leg : Est.
» 206, » 13 : ipis — leg : ipsis.
» 223, » 31 : dotinuisse — leg : detinuisse.
» 228, » 34 : *inis* — leg : *imis*.
» 234, » 19 : *vigenti* — leg ; *viginti*.
» 237, » 6 : casum — leg : casuum.
» 238, » 2 : sive proprio metaphorico — leg : sive proprio sive metaphorico.
» 238, » 16 : obiectivo sive nomen — leg : obiectivo, sive.

Alger. — Typographie de l'Association ouvrière, P. Fontana et Cie.